QU

A

QUAE FUERIT XENOPHONTIS DE REBUS PUBLICIS SENTENTIA, EXPONATUR.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. X. CAL. JAN. ANNI MDCCCLI.

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

O. KUEBLER, DR. PHIL.
GUIL. GROSSER, REG. SEM. PHIL. SOD.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

PAULUS WERNER,

LIGNICENSIS.

VRATISLAVIÆ,

TYPIS C. H. STORCHII ET SOCII.

HENRICO HASSE,

AVUNCULO.

Quae fuerit Xenophontis de rebus publicis sententia, exponatur.

Xenophontis nos perlegentes scripta illud fugere non potest, eum, quae Socratem de quaque re docuisse nobis tradiderit, eadem fere in reliquis scriptis dicere solere, itaque, cum nobis, ut, quae fuerit Xenophontis de rebus publicis sententia quamque in ejus vitam habuerit vim, explicaremus, propositum esset, haud abs re est visum primum illud, quod civis esse boni statuerit Socrates, indagare ad illa Xenophontis scripta, quibus magistri praecepta literis mandavit, Memorabilium dico libros et Convivium; deinde explanare, quomodo, quod Socrates hac de re optimum esse censuerit, Xenophon pro animi sui indole in libris, quibus suam profitetur sententiam, permutaverit. Erunt fortasse, qui censeant, Oeconomicum quoque esse adhibendum ad explicanda illa, quae Xenophon Socratis nobis tradiderit praecepta; sed quamvis me non lateat, in illo quoque libro Socratem a Xenophonte docentem fingi, tamen multa sunt, quae me commoveant, ut quae in Oeconomico exponuntur Xenophonti potius quam Socrati tribuam. Quorum primarium est illud, quod Memorabilium et Convivii rationem plane esse aliam quam Oeconomici intellexisse mihi videor, quae sententia etiam confirmatur ratione habita temporis, quo cum Oeconomicus tum Convivium et Memorabilium libri scripti videantur esse. Probabilis enim est virorum doctorum sententia, Memorabilium libros a Xenophonte esse confectos Ol. 96, 3, postquam ex Asia reverterit scriptor, cum veri videatur non dissimile, eum libros illos, quibus Socratem defendere

vellet, in lucem edidisse, simulatque e bellis reversus literis operam dare potuerit. Eidem anno vel sequenti Convivium assignatur; (cf. Böckh. de simultate, quae Platoni cum Xen. intercessisse fertur. Berl. 1811. p. 19) Oeconomicum vero post Anabasin esse scriptum arguit cap. 4 sect. 18 sq. (cf. Anab. 1, 9, 29—31). Anabasis quo anno sit edita non satis accurate definire licet; alii eam tribuunt Ol. 99 initio (cf. Breitenbach: Quaest. de Xen. Oecon. partic. Hal. 1837. p. 19 sq.), alii Ol. 102, 1 (cf. Krüger: de authent. et integr. Anab. p. 4). Schneiderus, qui Anabasin post finitam a Xenophonte historiam graecam esse scriptam ponit i. e. post Ol. 105, 4 (cf. Schn. ad. h. gr. 3, 1, 2), Oeconomicum ad Ol. 95, 1 refert, locum illum (4, 18. 19) a librario quodam insertum esse ratus (cf. Schneid. ad Oecon. 2, 7). Neque vero haec neque illa Schneideri sententia mihi placet, sed cum longum sit causam accuratius exponere, satis habeo affirmare, me eorum assentiri sententiae, qui Oeconomicum Ol. 104 scriptum esse contendant; (cf. Sauppe: praef. ad Xen. opusc. polit. p. XLIX.) cum quae in illo libro de re familiari bene administranda et de re rustica disputat Ischomachus, tantum illarum rerum usum prodant, quantum habere possit is solus, qui per longius temporis spatium agriculturae studuerit; quod Xenophonti tum demum, cum Scillunte commoraretur ab Ol. 97, 1 usque ad Ol. 102, 2 contigisse mihi persuasum habeo. Quod Xenophon in illo dialogo Socratem loquentem facit, inde explicandum esse videtur, quod eo demonstrare vellet, praeceptis e disciplina Socratica profectis ne eum quidem carere posse, qui res suas bene gerat. Sed hac de re satis.

Primum igitur, quae ei esse agenda putaverit Socrates, qui recte bonus civis sit nominandus (καλὸς κἀγαθός), exponamus. Docet (Mem. 2, 1, 19) eos, qui operam dent, ut et ipsi corporibus validioribus et animis fortioribus factis rem suam bene administrent et amicis utilitatem afferant et patriae opes augeant, libenter, ut haec assequantur, omnes sustinere labores et maxima cum voluptate vivere, quod et ipsi virtute sua delectentur et ab

aliis laudentur et felices praedicentur; quam maximam esse voluptatem copiosius exponit (Mem. 1, 6, 9. 4, 8, 6), affirmans simul (Mem. 2, 1, 31) nulla re hominum tantopere delectari animos, quam si laudari se audiant. Eadem fere (Conv. 8, 38) Autolyco ut maxime expetenda enumerat. Censet igitur, omnium rerum gloriam maxime esse petendam, quae bonum sit summum et ex virtutis praemiis amplissimum, illam enim ei tantum contingere, qui aequalibus excellens virtute esse vir videatur, quod nullo alio modo tam facile posse fieri, quam si quis id agat, ut qualis haberi velit talis sit; (Mem. 1, 7, 1. 2, 6, 39) itaque gloriae avidis accidere, ut semper meliores conentur evadere; neminem enim unquam tantam consecutum esse gloriam, ut gloriae satis habere sibi videretur.

Cum igitur gloriam virtute paratam e Socratis sententia bonum esse summum videamus, illud perquiramus, quem omnino virum bonum nominandum et quas viri boni esse virtutes censuerit. Docet (Mem. 3, 8, 2. 3), nullam rem per se esse bonam, sed omnes res ab hominibus tantum, qui iis utantur, bonas nominari, si ad ea, ad quae iis utantur homines, utiles sint; itaque nihil plane interesse, utrum rem quandam bonam an utilem esse dicas; bonum vero et pulchrum esse idem, ita, ut vel corbis ad portandum fimum apta, dummodo sit apta, pulchra sit (Mem. 3, 8, 6). Pari modo etiam eum solum, qui ad ea, quae virum deceat agere, perficienda sit aptus, virum bonum posse nominari; minus vero bonum, qui nihil bene agat (Mem. 3, 9, 15). Quaenam autem sunt res illae, quas a viro bono geri velit Socrates? Ex iis, quae dixi, apparet, Socratem sine dubio pro optimo cive habuisse civem utilissimum i. e. civem, qui quam plurimis prosit, neque ullum hominem pluribus prodesse, quam qui de urbe vel civitate tota bene mereatur; itaque civis boni esse, si quid utilitati publicae consulere se posse credat, ad rem publicam accedere. Ex salute enim rei publicae non solum alios cives, sed etiam eum, qui bonae rerum conditionis exstiterit auctor, ejusque amicos fructum percipere, ideoque eum, qui rei publicae prosit et sibi et amicis prodesse (Mem. 3,

7, 9), eum vero, qui, quamvis reipublicae commodis possit prospicere, tamen reipublicae administrandae potestatem aliis concedat neque ipse ad eam audeat accedere, valde esse reprehendendum (Mem. 3, 7, 2). Ac multo etiam magis eum esse vituperandum, qui rem publicam sine doctrina et rerum usu capessat (Mem. 4, 2, 2. 6), praesertim cum et difficillimum sit rempublicam gerere et ei, qui rei publicae velit vel partem quandam suscipere, multis opus sit virtutibus. Jam igitur, quas illas esse virtutes crediderit Socrates, vel potius, cum virtutes illae, dico pietatem, justitiam, temperantiam, fortitudinem, σωφροσύνην, quae vulgo Socraticae soleant appellari, sint notissimae, illud jam explicemus, quamobrem tantopere illas commendaverit virtutes. Vix enim quemquam potest fugere, Socrati, quippe qui bonum idem esse atque utile constituat, virtutes quoque propterea tantum probari, quod eas ad res bene agendas multum prodesse videret, qua re diligenter addere solet, quam quaeque virtus ipsi videatur praebere utilitatem, quippe cui esset persuasum, homines id tantum facere solere, quod ratione habita omnium, ex quibus eligere aliquid liceat, sibi utilissimum cognoverint (Mem. 3, 9, 4).

Primum locum inter virtutes illas tenet pietas erga deos, quam cur tam necessariam esse crediderit, facile erit intellectu, si respexeris ad ea, quae omnino de rebus divinis senserit Socrates. Docet, deos esse aeternos et creavisse et regere mundum et videre et audire omnia et ubicunque adesse et omnium gerere curam, iisque omnia esse subjecta (Mem. 1, 1, 19. 1, 4, 13. 18. 4, 3, 13); omnia igitur, quae sint hominum, a diis esse iis data et bona et mala (Conv. 4, 47); deos vero illos omnia providentes hominibus, quibus sint propitii, libenter significare, quae sint futura, et somniis et oraculis et auguriis et sacrificiis, unde colligere liceat, quae sint incipienda, quae non (Mem. 4, 3, 12). Quod autem dii homines non omnes quae sint futura prodigiis illis doceant, non esse mirum, quippe qui nulla cogantur necessitate ut hoc faciant; cum vero ex prodigiis magnum possint percipere fructum homines, inprimis iis esse curandum, ut dii sibi sint pro-

pitii; propterea deos esse placandos et sacrificiis pro viribus colendos; eorum enim non interesse, utrum magnis an parvis colantur sacrificiis, sed iis deos maxime gaudere honoribus, quibus a maxime piis afficiantur (Mem. 1, 3, 3. 4, 3, 17); itaque diis non tum solum sacra esse facienda, cum quis eorum egeat consilio, sed semper, praesertim cum quis sit conditione bona. Ut autem, si dei futura significaverint, eorum consilio possis uti, artem divinandi esse discendam, ut ipse ex auguriis aliisque signis cognoscere possis, quid sit faciendum, neve ex haruspicibus tibi sit quaerendum (Mem. 1, 1, 7. 4, 7, 10). Necesse igitur esse hominibus, quicunque res suas sibi feliciter procedere cupiant, ut, quoniam quae agant pro rationis suae imbecillitate quomodo casura sint praevidere nequeant, pio erga deos sint animo et deos consulant atque ex his rerum eventus percontentur, itaque omnium rerum initium faciendum esse a diis; extis vero non addicentibus nihil plane esse agendum (Mem. 1, 3, 4).

Altera virtus est justitia, cujus duplex est ratio; cernitur enim et in eo, quomodo quis se civem gerat, et quomodo in alios, quibuscum vivat. — Ad prius illud quod attinet, justum virum eum definit esse Socrates, qui injusta non faciat; omnino justum vero esse illud, quod sit legitimum (Mem. 4, 4, 12); eum igitur tantum justum posse nominari, qui quod leges jubeant faciat; itaque illum, qui sit justus, legibus et magistratibus esse obtemperantem; utilitatem vero, quae ex justitia percipiatur, esse maximam. Ex obedientia enim civium sola concordiam nasci, quae summum sit bonum (Mem. 4, 4, 16). Ac justitia etiam declaratur moribus, quos prae se quisque fert, qua in re eum, ait, esse maxima laude dignum, qui non solum in amicos, antequam afficiatur beneficiis, beneficia ipse conferat prior, sed etiam inimicis, antequam injurias patiatur, detrimentum inferat (Mem. 2, 3, 14); id quod ei, qui operam det, ut, justi quae esse viri cognoverit, faciat, maximo esse commodo, demonstrat (Mem. 4, 4, 17); quem enim minus a re publica punitum, quem majore honore affectum iri quam legibus obedientem? quem minus in judi-

ciis caussis casurum, quem facilius obtenturum esse eas? cui pecuniam, filios, filias concreditum iri libentius? in quem tam libenter amicos beneficia esse collaturos, quam a quo gratias relatum iri confidant? cui plures futuros esse amicos, pauciores inimicos, quam tali? Est igitur justitia ea virtus, qua maxime ad amicos sibi conciliandos est opus, itaque mirum esse non debet eam tantopere commendari, cum plurimum esse vero tribuendum amico saepius asseveret Socrates (Mem. 2, 4, 1. 1, 2, 7).

Sequitur temperantia; eumque esse temperantem docemur (Mem. 4, 8, 11) qui nunquam cupiditatibus indulgens, jucundiora prae melioribus, i. e. prae utilioribus, eligat, sed qui cupiditatibus imperet, sola ratione habita eorum, quae bona esse cognoverit; varii autem generis esse intemperantes, alium somno, alium lasciviae, alium vino, alium edendo deditum. Omnium autem harum rerum abstinentem debere esse eum, qui temperantem se vocari velit, et temperans sit necesse esse, qui aliis virtutibus studeat; temperantes enim solos, utilitatem rerum spectantes, dignoscere posse, quid sit bonum, quid malum (Mem. 4, 5, 11); intemperantes vero libidinibus turpissimis parentes prohiberi, quominus sapientiam nanciscantur, cum semper ea tantum, quae sint jucunda, appetant: temperantia carentem nunquam bonum esse posse, magis enim quam cetera intemperantem fugere labores, quamvis nobis nihil boni a diis detur sine laboribus: (Mem. 2, 1, 28) itaque temperantiam esse omnis virtutis fundamentum, temperantem solum ad omnia bona perficienda aptum (Mem. 1, 5, 4). Ac praeterea temperantiam multa afferre commoda; eam, ut omnibus rebus, quibus fruantur homines, majore cum voluptate fruantur efficere, nam quo diutius aut cibo aut potu aut somno abstinuerimus, eo vehementius nos, ut rebus illis potiamur, appetere nactosque eo libentius iis frui solere; intemperantem vero, cum antequam illarum rerum sit cupidus, iis soleat frui, voluptatem illam summam non nosse. Et eo, quod cibo et potu aliisque corporis voluptatibus per aliquod tempus abstinet, id quoque facili opera assequitur temperans, ut famem, sitim,

insomniam ferre possit, unde factum est, ut is quoque temperans nominetur, qui sit patiens non harum solum, sed etiam frigoris, aestus, omnium denique laborum (Mem. 2, 1. 7). Adducit igitur temperantia homines ad corpora exercenda, cum omnes labores efficiat tolerabiles; inde temperantiae studiosi est corpus probe exercere, quod, si quid aliud, magnam affert utilitatem. Corpus enim exercenti et robur et valetudinem bonam contingere (Mem. 3, 12, 4); bonum vero corporis habitum ad omnia, quae homines gerant, esse utilem, semper enim hominibus esse opus et corpore, et animo, qui corpore aegrotante sanus esse non possit (Mem. 3, 12, 6), sed corpore effeminato animum quoque debilitari, corpus exercendo animum firmari.

Arctissime igitur conjuncta cum temperantia est quarta illarum virtutum, fortitudo; fortes enim eos contendit esse, qui in magnis periculis bene se gerant (Mem. 4, 6, 11). Sane fortitudo hominis animo natura sit insita necesse esse, praeterea vero animi ad fortitudinem indolem firmari exercendo posse et debere, ut terribilia ferre possit vir neve in discrimen vocatus terreatur (Mem. 3, 9, 2).

Una reliqua est virtus, quam σωφροσύνην nominat Socrates, de qua quid sit statuendum, me non satis certe scire ingenue fateor, neque quomodo is, quem Graeci appellant σώφρονα, latino sermone sit nominandus (cf. Cic. Tusc. 3, 8.). Debet enim is, qui σώφρων appelletur, reliquis omnibus virtutibus esse praeditus, ut σωφροσύνη ejus esse videatur, cujus mens sit sana et integra, qui omnibus rebus bene uti possit, qui alias omnino sapiens nominetur; Socrates (Mem. 3, 9, 4) σωφροσύνην et sapientiam (σοφίαν) disputando non distinxisse dicitur; eodemque loco docet, eum, qui et bona et mala quae sint animo teneat, et haec fugiat, illa persequatur, esse sapientem et σώφρονα. Cum autem sapientem in ea quemque esse re, quam recte cognoverit, et sapientiam esse scientiam doceamur (Mem. 4, 6, 7), recte mihi statuere videor, eum esse σώφρονα, qui, quae sapientia sua bona esse cognoverit, faciat, quae mala, evitet, qui, quidquid

agat, sanam rationem ducem sequatur et animi cupiditates coërceat. Qua de re Schneiderus (ad Mem. 3, 9, 4) haec dicit: Socrates enim σωφροσύνης et σοφίας nullos alios terminos esse ait, nisi eosdem, quibus scientia et factum discriminetur. Unde non mirum esse potest, saepe σωφροσύνην aliarum virtutum loco usurpari, inprimis eam saepissime cum temperantia commutari; itaque Socrates (Mem. 3, 9, 4) negat, eos, qui quid sit faciendum cognitum habeant, sed contraria faciant, sapientes et temperantes (ἐγκρατεῖς) esse, eodem tamen loco qui quid sit bonum animo tenentes faciant, sapientes et σώφρονες nominantur. Propterea et omnino is σώφρων nominatur, qui alias sapiens (σοφός) vel prudens (φρόνιμος) appellari solet (Mem. 4, 3, 2), ut sit is, qui omnino quid in quavis vitae conditione sit agendum perspexerit, qui sanam de rebus sententiam habeat. Facile inde intelligitur, eum, qui reliquis illis virtutibus, pietate, justitia, temperantia sit ornatus, σωφροσύνῃ carere non posse, vix ut dici possit, utrum ille, qui in virtutibus illis operam collocet suam, antea σώφρων necesse sit evaserit, an ille, qui virtutibus illis excellat, propterea sit σώφρων nominandus.

Est haec brevis descriptio virtutum illarum, quas omnis humanae virtutis quasi cardines esse omnibusque et prae ceteris appetendas Socrates dicit, si quis rempublicam capessere velit. Ac sunt illae tam arcte inter se omnes conjunctae, vix ut dirimi possint, quare, qui vel unam earum colat, ex ea fructum percipere non possit, quin reliquis quoque operam navet; qui vero omnibus sit praeditus, quaecunque virum deceant bonum, ea est nactus; est enim ille ad imperandum idoneus; quod qui ut fiat studeat, summum eum appetere aperte profitetur Socrates (Mem. 3, 6, 2. 4, 2, 11); illum vero ita ostendit ad imperandum esse idoneum: principis sane esse aliis, quae faciant, imperare, eorum, qui regantur, quaecunque jusserit princeps, perficere (Mem. 3, 9, 11); eum igitur esse principem optimum, qui, ut sibi quam maxime obediant οἱ ἀρχόμενοι, iis sit auctor (Mem. 4, 4, 15), eamque civitatem maxime florere, cujus cives quam

maxime legibus pareant; homines vero iis dicto maxime esse obedientes solere, quos meliores ipsis cognoverint esse (Mem. 3, 3, 9); cum vero eum, qui sit pius, justus, temperans, fortis, σώφρων, esse optimum contendat Socrates, facili opera intelligitur, talem quoque ad imperandum esse aptum. —

Haec igitur fere est Socratis sententia de eo, quod civis esse boni putat; quemque, ratus, debere id potissimum sibi proponere, ut imperandi fiat peritus, cum propterea et ipse omnium virtutum sit studiosus necesse sit et aliis quam plurimis eo prosit, unde maxima nascatur gloria.

Itaque non mirum est, quod Xenophon eo, quod gloriae sit cupidus, virum praestantiorem esse dicit ceteris animalibus, eos vero homines, quibus non insit gloriae cupiditas, non esse viros, sed homines tantum nominandos, neque ullum virorum studium divini esse similius quam gloriae, nullam voluptatem esse majorem quam e gloria perceptam (Hier. 7, 3. 4); gloriam vero non parari nisi ab eo, qui sit excellens virtute vir (Cyr. 1. 5, 12. 1, 6, 22). Talis viri nobis imaginem proposuit in libro, qui Cyropaedia inscribitur, quo omnibus jam persuasum est eum docere voluisse, quibus belli et pacis artibus imperium acquiri et servari possit. Quare jam illud paullo accuratius exponamus, qualem reipublicae formam in illo libro tanquam optimam commendaverit, inde explicaturi, necesse fuisse, haec ejus de optima reipublicae forma sententia eam ad ejus vitam habuerit vim, quam habuisse ex omnibus, quae de ejus vita nobis sunt tradita, colligi possit.

Cum saepius Xenophon, quales in republica essent principes, tales dicat et reliquos solere cives esse (de vectt. 1, 1. Cyr. 8, 1, 8. 8, 8, 5), jam illud patet, omnem reipublicae summam a principe pendere; primum igitur qualem Cyrum suum descripserit Xenophon est videndum. Ac qui Cyropaediae libros semel tantum pervolutaverit, eum latere non posse opinor, Cyrum totum ad Socratis praecepta a Xenophonte esse efformatum, quod, quamvis demonstratione vix egeat, paucis tamen explicemus, cum inde ad id, quod initio posuimus, Xenophontem in

omnibus scriptis suis Socratis praecepta secutum esse, aliquid allatum iri lucis confidam.

Insignis igitur est Cyri pietas erga deos, quam profectam esse ex iis, quae eum docet Cyaxares pater, facile est intellectu (Cyr. 1, 6, 2—6. 44—46); et illa plane congruere cum iis, quae Socrates profert, cuique, qui operae esse pretium censeat, videre licet collatis locis Mem. 1, 1, 19. 1, 4, 18. 1, 3, 3. 4, 3, 10 sqq.; eadem fere filii ut faciant Cyrus moriens adhortatur (Cyr. 8, 7, 22). Semper ergo Cyrum intelligimus deos sacris colere et quaecunque facturus sit a diis incipere (Cyr. 1, 5, 6. 14. 2, 4, 18. 4, 2, 12. 6, 2, 40. 6, 4, 31. 7, 1, 1. 7, 5, 32, 57); eum jubere magos de praeda primum illa eligere, quae diis voveantur (Cyr. 7, 3, 1. 7, 5, 35. 8, 3, 11); auguriorum eum curam habere (Cyr. 2, 4, 19. 2, 1, 1. 3, 3, 22) et aliorum prodigiorum (Cyr. 1, 6, 1. 7, 1, 3) et somniorum (Cyr. 8, 7, 2. 21); operam dare eum, ut qui in pugna ceciderint, sepeliantur (Cyr. 5, 4, 32); saepissime denique eum in orationibus aliqua bene ominantis uti formula, quales sunt σὺν τοῖς θεοῖς (Cyr. 2, 1, 15. 2, 4, 14. 4, 1, 11. 4, 6, 8. 5, 3, 19. 5, 4, 22. al.) ἢν ὁ θεὸς θέλῃ (Cyr. 2, 4, 19. 5, 4, 21. 7, 1, 9), ἢν ὁ θεὸς εὐ διδῷ (Cyr. 3, 1, 34. cf. Cyr. 4, 1, 2. 7, 5, 77). Justitia Cyri quanta sit, inde conspici potest, quod Persarum pueris hoc solum fere esse studium dicitur (Cyr. 1, 2, 6 sqq.), ut discant justitiam, et quod Cyrus puer duodecim annos natus (Cyr. 1, 3, 1) illam penitus quod animo teneat gloriatur (Cyr. 1, 3, 16). Ejusdem justitiae illud quoque est, quod Cyrum (Cyr. 1, 4, 25) legum et patris ita esse obedientem legimus, ut, quamvis in Medis summo honore afficeretur, nihilominus tamen a patre revocatus in Persidem statim rediret, ne veniret in vituperationem (Cyr. 1, 5, 1). Non minus quam justitiae temperantiae studiosi erant Persarum pueri et σωφροσύνης (Cyr. 1, 2, 8), iidem exercitationi in armis summam dabant operam; his igitur virtutibus excellit Cyrus earumque rerum, quibus qui occupatus est corpus maxime exercet, equitandi et venandi, juvenis est amantissimus (Cyr. 1, 4, 5. 7, 11 sqq.); accedit animi

praeclara ad fortitudinem indoles, quae demonstratur et in venatione et in proelio (Cyr. 1, 4, 8. 24).

Talis igitur Cyri erat educatio, ad quam cum accedat, quod natura dicitur fuisse discendi et laudis cupidus (Cyr. 1, 2, 1. 1, 3, 3. 1, 4, 1), non mirum est, quod eum in omnibus rebus illis insigniorem longe aequalibus (Cyr. 1, 3, 1. 15. 1, 5, 1) et propterea, postquam aetatem virilem ingressus est, ducem exercitus Cyaxari auxilio missi creatum esse docemur (Cyr. 1, 5, 5). Nunc jam aliis imperat et quaecunque sibi bona videantur agit. Tenemus erga principem, qualem Xenophon esse volebat, pium, justum, temperantem, fortem, σώφρονα, omnibus denique virtutibus illis, quas Socrates boni esse viri contendit, ornatum. Quaerentibus vero nobis, quod sibi consilium proposuerit princeps ille, plane hoc ac perspicue declaratur (Cyr. 2, 1, 11); ubi Cyrus principis esse ait, non solum semet ipsum bonum praebere, sed etiam τοὺς ἀρχομένους reddere meliores. Elaborandum igitur esse censet Xenophon bono principi in eo, ut se τοῖς ἀρχομένοις quasi exemplum proponens (Cyr. 8, 1, 39) illos sui reddat similes, cum neminem principem statuat esse debere, nisi qui sit melior iis, quibus imperare velit (Cyr. 8, 1, 37. 1, 6, 8. 7, 5, 83). Quod ut fieri possit, id potissimum principis esse curare, ut ipsi obediant οἱ ἀρχόμενοι; per se enim intelligi, omnia bona et praeclara praecepta nullam habere vim et potestatem, nisi ut iis pareatur curam gesseris (Hipp. 9, 2). Summi igitur momenti in bono principe esse illud, ut possit efficere, ut quidquid jusserit jussi faciant et faciant libenter, multum enim interesse, utrum quis volentibus an invitis utatur ministris (Cyr. 3, 1, 28); quare summum esse illud, quod appellat Xenophon τὸ ἐθελόντων ἄρχειν (Oecon. 21, 12) et τὸ ἑκόντας πείθεσθαι (Cyr. 1, 6, 21); id vero difficillime effici posse (Cyr. 1, 1, 2. 3. 1, 6, 8), ideoque accuratissime enarrat, quibus artibus hoc ut sibi contingeret perfecerit Cyrus. Quod quomodo faciendum putaverit, diligentius exponamus.

Primum illud nemini contingere dicit, nisi cui deus praecla-

ram dederit animi indolem, esse divinum illud τὸ ἐθελόντων ἄρχειν (Oecon. 21, 11); quam ob causam Cyrus et natus esse rex dicitur (Cyr. 5, 1, 24) et originem generis a diis repetere (Cyr. 4, 1, 24); plurimum autem, ut libenter obediant οἱ ἀρχόμενοι etiam hoc valere, quod homines ei libenter parere soleant, quem ipsis meliorem esse sibi persuaserint (Cyr. 1, 6, 21 sq. 3, 1, 20. cf. Mem. 3, 3, 9). Quod ut persuadeatur iis, proximam esse hanc viam, ut qualis haberi quis velit, talis sit (Cyr. 1, 6, 22. cf. Mem. 1, 7, 1). Has Xenophontis sententias cum iis, quae Socrates hac de re disputet, plane consentire, ex iis, quos adscripsi Memorabilium locos apparet. Alterum, quo efficiat princeps, ut libenter ejus jussui obtemperetur esse illud, ut persuadeat τοῖς ἀρχομένοις, eo, quod sibi obediant, ipsos et virtutem nancisci et utilitatem (Cyr. 8, 1, 29); quod ut faciat, eos, qui rem suam bene gesserint, laudet et omni honorum persequatur genere oportere (Cyr. 2, 2, 17. 21. 2, 3, 12. 3, 3, 52. 7, 2, 6. 7, 5, 35. 85); eos vero qui dicto non fuerint audientes esse reprehendendos et puniendos (Cyr. 8, 3, 21). Hanc agendi rationem plane proficisci ex justitia principis, facile quisque concedet memoria tenens, a Xenophonte eum justum nominari, qui eodem modo agat cum altero, quomodo alter cum ipso (Cyr. 6, 1, 47); vel quemadmodum aliis locis dicere solet, eum esse justum, qui amicos beneficiis afficiendo, inimicos nocendo vincat (Cyr. 5, 3, 32. 1, 5, 13. 1, 4, 25. 8, 7, 28. Anab. 1, 9, 11. 2, 3, 23. cf. Mem. 2, 3, 14). Aperte quoque (Cyr. 1, 5, 9) profitetur, se judice nullam ab hominibus coli virtutem, ut ne qui eam colant meliore utantur conditione quam improbi, neque eos, qui voluptatibus abstineant praesentibus, id propterea facere, ut nunquam voluptatibus fruantur honestis, sed ut ob ipsam illam abstinentiam eo magis in posterum delectentur; contra eos, qui quamvis per totam vitam virtutis fuerint studiosi, tamen quae e virtute possint percipi commoda non consequantur, imprudentes esse arguit (Cyr. 2, 2, 17. cf. Mem. 3, 9, 4). Inde vero, quod quos bonos esse viderit princeps praemiis afficiat, oriri aliud, quod non parvi sit momenti; omnes enim, qui propter virtutem

honorati sint a principe, eum esse dilecturos; id quod maxime ait principi esse appetendum. Sed alios quoque id assequendi exstare modos, quos, cum de gravissima re sibi videatur agere, diserte explicat Xenophon (Cyr. 8, 2). Primarium in eo esse dicit, ut princeps τοὺς ἀρχομένους vel diligat vel a se diligi ita simulet, ut eorum rebus prospiciat et labores pro iis suscipiat; ut gaudere videatur de iis, quae illis laeta accidant et dolere ea, quae illis dolorem commoveant; neque enim solere homines eos odio persequi, a quibus se sentiant diligi (Cyr. 8, 2, 1. 2. 1, 6, 8. 24). In his conspicitur Cyri humanitas, quae si qua alia ejus virtus bene est descripta (Cyr 1, 2, 1. 1, 4, 1. 8, 4, 8). Neque minus quam humanitate τῶν ἀρχομένων animos sibi conciliare posse principem donando neque ullum donum, quod quidem iisdem sumtibus possit comparari, esse jucundius, quam si iis cibos et potus impertiatur; quam ob rem necesse esse, eorum ciborum, quos sibi apponi jussisset princeps, idonea copia sit parata, ut eos, quibus se benevolum praebere velit, ciborum possit participes facere. Quod praeceptum in numero eorum est, quibus maxime delectatur Xenophon, neque Cyrus hoc jam inde a puero non fecisse fingitur (Cyr. 1, 3, 7. 1, 4, 11. 2, 1, 30. 2, 3, 24. 3, 2, 25. 8, 4, 6), neque in praeceptis, quae satrapis de bene regnandi tradit arte, idem desideramus (Cyr. 8, 6, 11). Apparet vero, non propterea solum, quod ciborum suorum τοῖς ἀρχομένοις det partem quandam, principem diligi, sed omnino, ut hoc fiat, liberalis sit necesse esse et donando magis delectetur quam possidendo (Cyr. 2, 3, 12. 2, 4, 9. 5, 1, 28. 8, 4, 31). Liberalitatem vero magno esse usui principi, quippe qua non solum gloriam nanciscatur, sed donatos etiam obstringat, ut gratias ipsi referant atque amici ipsi fiant fideles (Cyr. 8, 7, 13), quibus praesidium nitatur ipsius et reipublicae firmissimum (Cyr. 8, 2, 17). Amicis enim ad multa perficienda esse utendum; quid quod ad obedientiam sibi parandam firmandamque amicorum ait opus esse auxilio. Nam cum permultis sit imperandum, fieri non posse, ut princeps solus quaecunque jusserit ut fiant curet, sed hoc ita

esse instituendum, ut semper, si quid fieri jubeatur, alii ut jussui obtemperetur, curam habeant. Omnem igitur hominum multitudinem, quam imperio teneat, in singulas partes admodum paucos continentes esse dividendam partibusque singulis singulos praeficiendos ita ut alter alterius sit imperio adstrictus (Cyr. 8, 1, 15). Necesse sane esse, omnes, qui aliis imperent, sint illis meliores, ii vero, qui permultis imperent, optimi; hos igitur potissimum ex amicis esse eligendos, ut reliquos quoque quam optimos reddant. Eo vero, quod omnes, qui aliis obediant, aliis imperent, magnum hoc praeterea nasci commodum, ut honoris et gloriae fiant cupidi; iis enim, qui aliis imperent, divinitus honoris cupiditatem insitam esse affirmat Xenophon (Hier. 8, 5), hominesque sibi persuasisse (Hipp. 2, 6), se imperium tenentes magis decere facinus aliquod praeclarum committere, quam si sua negotia agant (Oecon. 14, 9 sq.); in iis igitur, quae maxime sint appetenda principi, semper illud ponit, ut *τοὺς ἀρχομένους* honoris et laudis cupidos reddat (Cyr. 2, 1, 22. 7, 1, 18. 8, 2, 26. 8, 4, 4. 5. 8, 1, 39. Oecon. 21, 10); atque id efficiendi varios describit modos.

His ergo rebus facile efficere principem, ut libenter ei obediatur, eumque ea in re non mediocriter juvari eo, quod dicta eorum, quos maxime sibi vel prodesse vel nocere posse intelligant homines, magnam vim in audientium animos habere soleant, ut illorum verbis saepe ad aliquid agendum aeque excitentur atque aliorum donis (Hier. 8, 3. 4. Cyr. 2, 1, 13). Illud igitur primum principi esse agendum ut in *τοῖς ἀρχομένοις* nascatur virtus, quam *πειθαρχίαν* vocat et tantopere commendat Xenophon. Nunc illud videamus, quomodo potestate illa principi esse utendum censuerit.

Ac cum supra posuerimus, e Xenophontis sententia principi in eo esse elaborandum, ut *τοὺς ἀρχομένους* sui reddat similes (Cyr. 8, 6, 10. 11. 8, 1, 21), et cum principem, qualem Xenophon vult esse, justum, pium, temperantem, fortem esse demonstrasse nobis videamur, apparet jam etiam *τοὺς ἀρχομένους* ipsi pios, justos, temperantes, fortes esse reddendos itaque reipublicae

illius, cujus imaginem sibi animo finxerat Xenophon, cives omnes Socratis obsequi praeceptis et rempublicam illam Xenophonteam eandem esse atque Socraticam. Sed tantum abest, ut res ita se habeat, ut, quamvis omnibus illis virtutibus revera praediti dicantur qui in Cyropaedia finguntur, tamen fugere nos non possit, magnum intercedere discrimen inter cives eos, quos Socrates, eosque, quos Xenophon optimos statuat esse. Considerantibus enim nobis artificiosam, ut ita dicam, Cyropaediae compagem, clarum fiat necesse est, illarum virtutum alias minus, alias vero summopere commendari, quo se maxime prodit ingenii Xenophontis indoles. Ut enim justi esse dicantur cives, satis esse videtur Xenophonti eos legibus obtemperare; et quomodo Cyrus *τοὺς ἀρχομένους* pios reddiderit, uno tantum docemur loco (Cyr. 8, 1, 24 sq.), ubi demonstrat Xenophon, id utilissimum esse principi, cum eo, quod pii sint illi, et principi res quascunque agat melius procedant et ipse securus ab insidiis fiat, quas quominus ei struant, pietate illi prohibeantur.

Totius vero spectantes oeconomiam operis, quod in eo supra diximus versari, ut demonstraret Xenophon, quibus belli et pacis artibus imperium acquiri posset et servari, non possumus non affirmare, eum potius illud tractasse, quomodo acquiri posset regnum, cum ab initio libri secundi usque ad finem libri septimi de hac re sola verba faciat; libro demum octavo paucis alterum illud docens, quomodo regnum, postquam sit occupatum alicui, servetur; parum memor ejus, quod praecipit ipse (Cyr. 7, 5, 76), difficile quidem esse res appetitas sibi parare, sed multo difficilius paratas tueri. Omnes igitur Cyropaediae libri nihil aliud fere continent nisi enarrationem expeditionum Cyri contra populos, quos imperio suo subjicere vellet; et cum ei ad id perficiendum maxime exercitu forti esset opus et firmo, omnia fere ejus praecepta id solum spectant, ut fortiores reddat illos, qui se ducem sequantur; libro quoque octavo, quo Cyri commemorari dixi instituta ad pacem pertinentia, inserta est satis longa de re castrensi disputatio (8, 5), ad quam cum accedat descriptio

agminis regii (8, 3), pacis illis artibus vix unum et alterum caput relictum esse intelligimus. Omnino eae, quas pacis artes nominavi, bellicis artibus magnam partem ita cognatae et conjunctae sunt, ut, utrum bellum in pace an pacem in bello respexerit Cyrus, dubius haereas, quoniam futurum bellum spectant omnia quae in hoc libro rex instituit.

Jam vero elucere opinor, Xenophontem hanc sententiam esse amplexum; non bonum esse posse principem, quin bonus sit exercituum dux neque bonos esse reipublicae cives, nisi fortes sint milites. Itaque maxime Cyrus propterea laudatur, quod sit artis imperatoriae peritissimus, magnisque effert laudibus eos, qui studiis bellicis operam dent, atque eum, qui homines fortes reddere possit, ut maxima omnium humanarum virtutum praeditum praedicat (Cyr. 8, 4, 8. 3, 3, 54); omnino belli amantissimum multa produnt dicta cf. v. g. Cyr. 2, 3, 14, ubi, qui arma portet non onus ferre, sed alis sublimis ferri, Cyr. 6, 1, 16; ubi similiter qui stipendia faciat hostium bibens vinum et comedens cibum, diem festum quasi celebrare dicitur (cf. Cyr. 2, 3, 9). In hoc igitur solum intentus est Cyrus, ut Persas fortiores reddat atque ad hoc solum omnia ejus praecepta spectant, ut demonstretur, quomodo exercituum dux efficiat, ut milites quam optimos habeat; ejusmodi tantum praecepta ei traduntur a Cyaxare patre libri primi capite sexto, quae per totum subinde opus secutus esse deprehenditur (cf. Cyr. 1, 6, 8. 24. c. Cyr. 8. 2, 2; Cyr. 1, 6, 17. c. Cyr. 2, 1, 20; Cyr. 1, 6, 22. c. Cyr. 8, 1, 21; Cyr. 1, 6, 15. sq. c. Cyr. 8, 2, 24). Habemus igitur illo capite totius Cyropaediae quandam quasi adumbrationem. Longum tamen est latius exponere, quae boni esse imperatoris contendat Xenophon, neque hoc mea interest, praesertim cum quam minuta fuerit ejus in his rebus describendis diligentia saepe sit quod mireris, qui disertis affirmet verbis minimarum non magis quam maximarum rerum curam alienam esse ab exercitus duce, cum saepe parvis tantum rebus neglectis vel equus vel miles perdatur (Cyr. 6, 3, 21). Satis est demonstrare ad hanc rationem Persarum vitam esse totam

comparatam; cum enim, qui variis sit occupatus rebus, omnes bene gerere non possit (Cyr. 8, 2, 5), sed solus is, qui ad unam tantum rem animum adverterit, ea excellere soleat, Cyrus, ut Persae rebus tantum bellicis operam dent, iis dicitur auctor esse Cyr. 2, 1, 21. 5, 1, 30. 8, 1, 12. 34. 8, 6, 10); illarum autem ait non meliorem esse magistram quam venationem (Cyr. 1, 2, 10), itaque ad venandum summopere eos excitat (Cyr. 8, 1, 34. 8, 6, 10). Atque omnino Cyri studium e multis Cyropaediae locis apparet in eo positum esse, ut τῶν ἀρχομένων corpora corroboraret eorumque disciplina bellica firmaret animos, hoc ductus consilio (Cyr. 2, 1, 20), ut parerent praefectis, libenter ferrent labores, pericula subirent, rerum periti essent militarium, arma polirent et ornarent, laudis et honoris cupidi essent; tales enim esse milites bonos (Cyr. 1, 5, 12. 2, 1, 22); et tales ut facti sint ei contigisse quoque dicitur (Cyr. 3, 35, 9. 5, 2, 15). Cum autem, ut omnibus illis rebus operam dare possint, necesse sit aliis negotiis vacent, in duas sejunguntur partes omnes illi, qui a Cyro reguntur, quorum alteris exercitatio in armis sola est cordi, alteris vero curandum, ut illis ad victum quotidianum necessaria praebeant. Magnum igitur discrimen intercedit inter eos, quibus pro militibus utitur Cyrus, quales sunt Persae, Medi, Sacae, Hyrcanii, Syri, Armenii, et inter eos, qui servitute oppressi tenentur, quemadmodum enim illis non licet inermibus esse, ita hos, quibus ad arbitrium suum imperat Cyrus, semper ut armis privet primum curat (Cyr. 7, 5, 34. 4, 4, 1), neque eos rebus bellicis operam dare patitur (Cyr. 7, 5, 79), quo et animi et corpora eorum debilitentur facilius (Cyr. 7, 5, 69. 8, 1, 45). His igitur servis utuntur Persae, et conspicuum fit in eo illud, quod ubique nobis antiquorum populorum civitates contemplantibus occurrit, censuisse Xenophontem quoque, ut pauci, qui optimo jure sint cives, liberi esse possint, necesse esse, reliqui omnes iis serviant.

Etiamsi vero de illo, quod supra Xenophontis fuisse consilium in Cyropaedia conscribenda exposuimus, ex iis quae usque

ad hunc locum disputavimus hoc potius esse dicendum videatur, eum illo opere demonstrasse, quibus artibus imperium possit parari, tamen, cum dubitari nequeat, quin illud aequales hoc libro voluerit docere, nobis mirum esse non potest, quod saepe Persis suis Graecorum sibi aequalium mores et instituta tribuit, cum luce sit clarius, neque Persas, qui Cyri temporibus vixerint, neque illos, quos Xenophon ipse oculis viderit, tales fuisse, ut eos imitandos credere posset. Atque hoc ipse significavit addito epilogo, qui, etiamsi spurius esset, quod non ita esse egregie ostendit Bornemannus (in libro: *der Epilog der Cyrop. etc. Leipz. 1819.)*, hoc certe demonstraret, Persas Xenophontis tempore et luxuriae deditos effeminatosque et omni scelerum genere inquinatos fuisse. Quamvis igitur in Cyropaedia multa legamus, quae esse Persis propria non nesciebat Xenophon, quod multis exemplis ex aliis ejus libris petitis demonstrari potest (cf. e. gr. Cyr. 2, 4, 20. c. Anab. 1, 5, 2; Cyr. 6, 2, 22. c. Anab. 6, 2, 6. Cyr. 7, 3, 15. c. Anab. 1, 8, 28 sq.; Cyr. 8, 3, 14. c. h. gr. 2, 1, 8. Cyr. 3. 2, 7. c. Anab. 4, 3, 4), et quae Xenophon saepe ita se etiam sua aetate habere notavit additis vocibus *καὶ νῦν ἔτι* (Cyr. 6, 2, 10. 7, 1, 33. 45. 46. 47. 8, 3, 9. 13. 34. 8, 4, 5. 28. al.); et quamvis inprimis Cyrum Xenophonteum ad exemplum et imaginem Cyri minoris esse conformatum suspicari liceat (cf. Cyr. 8, 2, 13. c. Anab. 1, 9, 24; Cyr. 3, 3, 58. c. Anab. 1, 8, 11; Cyr. 8, 3, 20. c. Anab. 1, 9, 28; Cyr. 8, 4, 6. 7. 24. c. Anab. 1, 9, 25 sq.; Cyr. 8, 4, 31. c. Anab. 1. 2, 11. Cyr. 1, 4, 8. 14. c. Anab. 1, 9, 6. Cyr. 1, 3, 1. 1, 5, 1. c. Anab. 1, 9, 2), tamen demonstratione vix opus est, eum, qui Graecos bene regnandi artem docere vellet, ad hoc perficiendum etsi maxime experientia sua adjuvaretur, illius artis praecepta non petiisse a barbaris sed potius a Graecis ipsis. Atque si forte eam reipublicae formam, quam pro optima commendavit Xenophon, similem esse intelligamus formae Graecae cujusdam civitatis, inde non sine idonea ratione colligi posse opinor, Xenophontem sibi persuasum habuisse, illam rempublicam, cujus simile finxit Cyri regnum, esse

optimam. Quodsi accuratius totum Cyropaediae opus consideraverimus, non solum omnino intelligemus, mores Graecorum Xenophontem tribuisse Persis suis, quos minimo credibile est tantam similitudinem cum illis habuisse; cujus generis sunt ternae libationes in conviviis factae (Cyr. 2, 3, 1), exercitus profectio nocturna (Cyr. 5, 3, 32), cum ex more et religione Persarum orto demum sole castra movenda essent; deinde quod puerorum amores Persis tribuit (Cyr. 1, 4, 27. 2, 2, 28); quod Tigrani dat philosophum praeceptorem (Cyr. 3, 1, 14); quod victimas integras a Persis in sacris combustas esse dicit (Cyr. 8, 3, 24); quod Persarum deos amoribus vult deditos esse (Cyr. 6, 1, 36) atque ejusdem generis alia; non haec solum, dico, intelligemus, sed etiam illud nobis mirum non esse non potest, quod omne fere Persarum vivendi genus, quod et Persae illi proprie hoc nomine appellandi, Persidis incolae, quorum disciplina Cyrus eruditus esse narratur, secuti esse et Cyrus suis commendasse dicitur, simillimum esse videmus disciplinae Spartanorum. Quanta illa sit similitudo eo magis perspicitur, quia ad nos pervenit libellus a Xenophonte conscriptus, quo Lacedaemoniorum describit omnem disciplinam, cui libello titulus est: de republica Lacedaemoniorum; qui quamvis a multis Xenophonti sit abjudicatus (cf. Sauppe praef. ad Xen. opusc. polit. p. XX. sqq.) tamen non abhorreo, quominus eo, ut qui revera sit Xenophontis, utar omnesque spero fore ut mecum sentiant perlectis iis, quae ad eum defendendum disputavit, qui nuper (Berl. 1833) eum edidit, Fridericus Haasius (cf. praef. p. 2—26), cujus editione, cum multa in ea transposuerit editor (cf. praef. p. 27 sqq.), me ubicunque hunc libellum citavi esse usum, non est tacendum.

Versatur igitur similitudo, quam intercedere dixi inter Spartanorum disciplinam et inter ea, quae a Persis esse instituta facit Xenophon, cum in aliis rebus tum maxime in rebus publicis. Apud Lacedaemonios potestas regia arctis limitibus est circumscripta (r. L. 14, 9), summum vero jus sacrorum obtinent reges; apud Persas item rex nomine magis est quam re (Cyr. 1, 4, 18.

8, 5, 21), de rebus tamen divinis consulitur (Cyr. 4, 5, 17. 8, 7, 1. cf. r. L. 13, 2); Persarum rex et homotimi jusjurandum inter se dant, ille se leges, hi se regiam potestatem esse tuituros (Cyr. 8, 5, 25); eodem jurejurando reges Lacedaemoniorum ephoros adigunt, ephori reges (r. L. 13, 7). Lacedaemoniorum deinde leges laudat Xenophon, quod ex iis non liceat, ad suum cuique arbitrium liberos educare (r. L. 2, 2), eodemque modo Persarum pueri publice educantur (Cyr. 1, 2, 2); Lacedaemonii porro habita annorum aetatis ratione dividuntur per quatuor ordines, quorum primus est ordo puerorum (r. L. c. 2), alter adolescentium (r. L. c. 3), tertius virorum (r. L. 4, 7), quartus eorum omnium, quibus bello orto domi remanere liceat (r. L. 4, 8), qui sunt senes; neque aliter Persae divisi esse dicuntur (Cyr. 1, 2, 4). Quid quod in iis quoque, quibus quisque est ordo occupatus, non potes non fateri eadem plane esse negotia Persarum atque Lacedaemoniorum. Et quod Lycurgus sensisse traditur, eos, in quibus summum insit honoris et laudis studium, optimos fieri solere (r. L. 4, 2), idem Cyro magni momenti visum est, qui, ut honoris cupidos reddat τοὺς ἀρχομένους, quam maxime studet, (Cyr. 2, 1, 22. 7, 1, 18. 8, 2, 26) ad quod efficiendum et hic et ille se maxime ait juvari curando, ut qui boni sint meliore utantur conditione quam mali (r. L. 9, 3. cf. Cyr. 3, 3, 52. 2, 2, 17). Itaque et Persis et Lacedaemoniis id maxime esse appetendum docemur, ut omnia illa officia, quae τὰ καλὰ vocat Xenophon (cf. Haase ad r. L. 3, 3), expleant. Discunt vero et Persarum et Lacedaemoniorum pueri et adolescentes obedientiam erga magistratus (Cyr. 1, 2, 8. r. L. 2, 3) et temperantiam et continentiam in cibo potuque (Cyr. l. l. r. L. 2, 7. 5, 4) et exercitationem in armis (Cyr. 1, 2, 9), itaque quales describuntur Lacedaemoniorum adolescentes (r. L. 3, 4. 5), tales facile agnosces Cyrum (Cyr. 1, 4, 4) et Persarum adolescentes (Cyr. 8, 1, 33); atque ut Persarum viris Cyrus (Cyr. 7, 5, 79), ita Lycurgus Lacedaemoniis (r. L. 7, 2) corporis potissimum exercitationes et bellica studia commendat. Neque Persae neque Lacedaemonii unquam inermes incedunt (r. L. 12, 4. Cyr. 2,

1, 21. 5, 1, 30), et venationis amantissimi sunt (Cyr. 8, 1, 34. r. L. 4, 7); utrique non vestibus pretiosis ornantur, sed eo, quod corpora sunt valida (Cyr. 1, 3, 2. r. L. 7, 3); qui et puer et adolescens et vir egerit, quaecunque civem probum et legum observantem deceat agere, in homotimorum vel homoeorum, quemadmodum apud Lacedaemonios audiunt, refertur numerum (Cyr. 1, 5, 5. 3, 3, 41. r. L. 10, 4. 14, 1. 7), maximoque senex honore afficitur (r. L. 4, 10. Cyr. 8, 7, 10); si quis vero aliter se gesserit, infamis est et ignominiosus (Cyr. 1, 2, 14. r. L. c. 9—10, 4). Neque mirum esse potest, quod multa quoque Lacedaemoniorum instituta ad exercitum pertinentia ad Persas transtulit Xenophon, quippe qui rerum bellicarum ceteros Graecos rudes putaverit esse, excellere vero Lacedaemonios in illis solos (v. L. 14, 5); itaque qui sunt Lacedaemoniorum regis comites, damosiae sodales (r. L. 14, 1) Cyro quoque tribuuntur (Cyr. 3, 3, 34. 7, 1, 1), et quemadmodum apud Lacedaemonios esse narrantur ephori duo disciplinae castrensi prospicientes (r. L. 14, 5) ita Persico etiam exercitui tribuit ὀπτῆρας domo missos (Cyr. 4, 5, 17); Lacedaemoniorum praeterea acies duces in fronte habet sui quemque ordinis primum (r. L. 11, 6), atque eandem frontem ducibus πρωτοστάταις ornatam praebet Persarum exercitus (Cyr. 3, 3, 57); etiamque Lacedaemoniorum phiditia ad Persas transfert Xenophon (r. L. 5, 2. Cyr. 2, 1, 25), latius ibi explicans eorum ad disciplinam militarem vim; quod instrumenta maxime necessaria Lacedaemoniorum milites secum perhibentur portare, idem Cyrus dicitur suis imposuisse (r. L. 11, 2. Cyr. 6, 2, 34); Lacedaemonii proelium ineunt coronati (r. L. 11, 4) neque minus Persae (Cyr. 3, 3, 40. 42); Lacedaemonii tunicis puniceis induti sunt (r. L. 11, 3. 4), iisdem Persas indutos esse legimus (Cyr. 6. 4, 1); et Spartani (r. L. 12, 5) et Persae exercitationibus corporis ante prandium atque ante coenam utuntur (Cyr. 2, 1, 29). Lacedaemoniorum exercitui equites speculatores antecedunt (r. L. 14, 6); Cyrus quosdam levis armaturae milites praemittere solet (Cyr. 6, 3, 12. 6, 4, 12. 2, 4, 23). Neque in his solum sed etiam in aliis

levioribus cernere licet, Persas ad Lacedaemoniorum similitudinem a Xenophonte esse formatos, ut non male alteri Xenophontis Spartani nominari posse videantur (cf. Haase ad r. L. 12, 6). Exempla ejus rei proferam haec: Lacedaemoniorum rex (r. L. 13, 4) eos, quibus se benevolum velit praebere, cibis donat, quorum ei hanc ipsam ab causam duplex datur portio; quod idem in Cyro valde laudari vidimus (Cyr. 1, 3, 7. 1, 4, 11. 2, 1, 30. 8, 4, 6); Lacedaemonii convivia sua jocis liberalibus condiunt (r. L. 5, 6); idem ad Persas transfert Xenophon (Cyr. 2, 2, 1. 5, 2, 18. 8, 4, 9 sqq.); Lacedaemoniorum rex cum castra movet et in urbe Jovi et in terrae Laconicae finibus Jovi et Minervae sacra facit (r. L. 14, 2); eodemque modo duplex sacrificium Persis tribuitur (Cyr. 1, 6, 1. 2, 1, 1. 3, 3, 21).

Ex his, quae attuli, exemplis satis certo nos colligere posse opinor, Xenophontem, qui in exponenda optimae reipublicae forma tam multas illi leges tribuerit, quas revera apud Lacedaemonios intellexisset exstare, censuisse omnium Graecarum civitatum optimam esse rempublicam Lacedaemoniorum; neque Xenophontis perlegentes libros fugere nos potest, egregium ejus fuisse erga Lacedaemonios studium, quod mirum quantum omnibus ejus scriptis proditur, inprimis vero toto illo libello, qui est de republica Lacedaemoniorum scriptus, in quo eum nullum habuisse consilium aliud, quam ut laudaret legum Lycurgicarum praestantiam et commendaret imitationem, omnibus jam persuasum est (cf. Haase l. l. praef. p. 9—13. Fuchs: quaestt. de libr. Xenoph. de rep. Laced. et de rep. Athen. p. 10 sq.). Quod, cum non ignoremus Xenophontem et fuisse Athenis natum et vixisse eo tempore, quo bellum illud durissimum et saevissimum, quod Peloponnesiacum nominare solent, gestum est, certe valde admirari debemus. Jam igitur, unde natum esse illud Xenophontis erga Lacedaemonios studium putandum sit, accuratius explicemus, breviter deinde illud tacturi, utrum nimium fuisse id ipsum videatur necne.

Primum, cum initio dixerimus Xenophontis de rebus omni-

bus sententiam solere magnam partem e Socratis magistri judicio pendere, videamus, quae ex iis, quae nobis Socratis dicta tradidit Xenophon, Socratis fuisse videatur his de rebus sententia. Totam vero Socratis disciplinam spectans id maxime fuisse ejus consilium demonstrasse mihi videor, ut discipulos bonos redderet cives, qui civitati prodessent; et ratione habita ejus rerum status, qui illo tempore Athenis fuerit, et civium, quales fuerint, intelligimus eum maxime occupatum esse in corrigendis iis, quae mala et turpia esse censeret; et per se intelligitur, fieri non posse, ut is, cujus tale sit studium, non vituperet instituta reipublicae, cujus sit civis; cum enim moribus Atheniensium depravatis respublica eorum florere non posset, omnino in emendandis aequalium moribus omnis Socratis versatur sermo; Socrates nullus fuisset, nisi Athenienses fuissent moribus depravatis; itaque non mirum est, quod et omnem reipublicae Atheniensis formam et Athenienses ipsos saepe a Socrate vituperari legimus (cf. Mem. 3, 7, 6. 8. 4, 2, 2—6. 3, 1, 2. 3. 1, 2, 44 sqq.). Omnino vero virtutes illas, quas ubique diligentissime commendat Socrates, non posse religiose servari putabat in republica, ubi, cum perpetuis rerum commutationibus et dissidiis ita perturbata esset, ut effrenata licentia plebis vix comprimi posset (cf. h. gr. 1, 7, 12), legum nulla fere esset vis. Tales tum fuisse Athenas nemo ignorat, cum Pericle mortuo Alcibiades, Cleon, alii plebem ad arbitrium suum regerent neque reipublicae sed sibimet ipsis prospicerent; cum Athenienses crederent, civium esse nihil nisi edere, bibere, dormire (Mem. 2, 7, 7). Praesertim vero a Socrate, qui cives vellet esse pios, justos, legibus obedientes, temperantes, fortes, eos par est reprehendi, qui virtutes illas non colerent; Athenienses autem tales fuisse multi Memorabilium docent loci. Imprimis insigne est libri tertii caput quintum, ubi, de revocandis ad pristinam virtutem Atheniensibus quae cum Periclis filio collocutus sit Socrates, narrat Xenophon, unde prae ceteris apparet Athenienses neque legibus obtemperasse (Mem. 3, 5, 16) neque bellicis artibus operam dedisse (Mem. 3, 5, 21. cf. 3, 12, 5);

eodem modo de intemperantia et moribus effeminatis eorum agitur (Mem. 3, 13. 14); et ad justitiam quod attinet a judicibus Atheniensibus multos poena dignos absolutos esse, multos innocentes capitis damnatos Hermogenis docemur verbis (Mem. 4, 8, 5). Sed non solum Athenienses reprehendit eorumque instituta bona esse negat Socrates, sed etiam, si quaesiverimus, quae ei aliorum populorum instituta bona et commendanda visa sint, saepe ab eo Lacedaemonios laudibus efferri intelligemus. In universum enim ut Socrates, operam in aequalium moribus emendandis collocans suam, cum iis, quae Athenis essent instituta, discrepabat, ita Lycurgi quoque instituta fere omnia contraria erant reliquarum civitatum Graecarum legibus et moribus (r. L. 1, 2. 5. 2, 1. 12. 3, 1. 4, 7 al.); ac singulae quoque ejus leges ita erant comparatae, ut, quam Socrates optimae reipublicae imaginem cogitatione complecteretur, eam fere effici putaret legibus et institutis illis, quae nihil aliud spectarent, nisi ipsas illas virtutes, quas esse primarias statueret. Antea enim demonstravi, tota illa puerorum disciplina, quae Lycurgo tribuitur, id inprimis agi, ut pueri reddantur legibus obtemperantes i. e. justi, temperantes, fortes. Quid igitur mirum quod Lacedaemoniorum saepe laudatur erga leges obedientia (Mem. 4, 4, 15. 3, 5, 15 sq. cf. r. L. 8, 1), cura corporis diligens (Mem. l. l.), quae quantum commodorum afferat, saepe exponitur (cf. Mem. 3, 12), verecundia, pudor (r. L. 3, 4. 5. 5, 9), cibi potusque continentia (cf. Mem. 4, 4, 15. r. L. c. 5), reverentia adversus senes adhibita. Et aliis in rebus, quas non diserte laudat Socrates, Lycurgi leges iis, quae Socrates probaret, consentaneas intelligimus esse. Ejusmodi sunt, quae Socrates, bonos et probos, ait, homines non solere aliis, quae possiderent, invidere, sed et sua amicis, ut iis uterentur, praebere et ipsos ea, quae essent amicorum, pro suis habere (Mem. 2, 6, 23); itemque apud Lacedaemonios institutum fuisse legimus (r. L. 6, 3. 4), ut, si quis aut servos aut canes aut equos non haberet, servis et canibus et equis aliorum uteretur; tum ut, si quis in venatone victu egeret, aliorum cellas penarias, quas suo quisque

in agro habebant Spartani, aperiret et depromtis ad victum necessariis suo rursus obsignaret annulo; deinde quod Socrates docebat (Mem. 4, 4, 23), seni non esse puellam in matrimonium dandam, quippe quorum liberi parum robusti solerent esse, idem apud Lacedaemonios constitutum fuisse legimus, ut uxorem quisque in ipso aetatis flore duceret (r. L. 1, 6). Collato igitur loco, qui est r. L. 10, 4, ubi Lycurgus dicitur fecisse, ut omnes, qui legibus convenienter viverent, pariter reipublicae participes essent, veri non dissimile videtur a Socrate Spartam potissimum nomine *ἀριστοκρατίας* significari (Mem. 4, 6, 12), qui idem eam rempublicam, cujus magistratus creentur ex iis, qui legibus convenienter vivant, esse *ἀριστοκρατίαν* contendat; itaque cum illo loco *ἀριστοκρατίαν* non, ut fieri solet, optimatium, sed optimorum regnum nominari appareat, videmus, quanta eo laus a Socrate tribuatur reipublicae Lacedaemoniorum.

Satis est paucis demonstrasse, Socrati quoque, quemadmodum omnibus fere philosophis, qui de praestantissima reipublicae forma quaesiverunt, Spartanorum leges et instituta ea visa esse, quae, etiamsi non plane probanda essent, tamen proxime abessent ab optimae illius reipublicae specie, quam animo sibi finxisset; neque est quod dubitemus, quin hoc Socratis judicium magnam habuerit vim ad Xenophontis de rebus publicis sententiam. Sed praeterea quoque nobis ratione habita totius vitae Xenophontis multa accurrunt, quae ad ejus in Lacedaemonios studium augendum magni fuisse momenti mihi persuasum habeo. Cum vero de iis, quae de Xenophontis vita nobis nota sunt, alii aliter sentiant, antequam accedam ad explicandas ceteris studii Xenophontis in Lacedaemonios caussas, in universum breviter quaedam de Xenophontis vita praemittam, in qua enarranda multa conjecturis tantum niti facile mihi quisque concedet.

Xenophon natus est Athenis. Neque vero satis firmis veterum scriptorum testimoniis constat, quo fuerit anno natus neque certi aliquid de ejus patre et familia nobis traditum est, nisi quod scimus, patrem esse Gryllum nominatum et demo Erchieo fuisse

adscriptum. Ad utrumque hoc aliquid lucis affert testimonium Diogenis Laërtii (v. Socr. p. 57 ed. Steph.) Xenophontem pugnae apud Delium Ol. 89, 1 commissae interfuisse narrantis. Unde quosdam simul Anabasis locos (cf. Anab. 2, 1, 13. 3, 1, 25. 3, 2, 37) respicientes eum computare possumus vel Ol. 84, 1 vel anno praecedente esse natum. Qua de re vide Spillerum (quaest. de Xen. h. gr. specim. p. 42) et quos ibi laudat, Kruegerum (quaest. de vit. Xen. p. 6), Corsinum (Fast. Att. III. p. 297), Schneiderum (praef. ad Xen. h. gr. p. IX. sq.). Ac Diogenes Laërtius (l. l.) narrat Xenophontem, qui in illa pugna ex equo decidisset, a Socrate esse servatum. Quo testimonio etiam docemur, Xenophontem stipendia equo meruisse, unde conjicere licet, eum in numero nobilium divitumque fuisse civium (cf. Hermann. *Lehrb. d. griech. Staatsaltth.* § *152, n. 17.* Xen. Oecon. 2, 6). Nihil vero certi nobis traditum est, quamquam statuere possumus, educationem Xenophontis fuisse eam, quam postea in bellis et militiis prae se tulerit, eumque corporis exercitationibus summam dedisse operam. Et ad literas eum incubuisse vel eo demonstratur, quod eum Socratis discipulum fuisse scimus, qui nunquam non optimos quosque juvenum ad se allicere studebat; qua de re exstat narratiuncula Diogenis Laërtii (v. Xen. § 2 ed. Bornem.). Nil vero de tempore annotavit, quo hoc factum esse statueret, attamen a vero non mihi videor aberrare, hoc Ol. 88, 4 vel Ol. 89, 1 assignans. Xenophon tum decimum nonum fere agebat annum et veri videtur simile, eum tum Socrate familiariter usum esse; certo scimus rem ita se habuisse Ol. 89, 4, ad quod tempus Athenaeus (V. p. 218) victoriam refert Autolici et convivium Calliae quo Autolici victoria celebrata est, cui convivio se adfuisse testatur Xenophon (Conv. 1, 1. cf. Schneid. praef. ad h. gr. p. XIX.). Sed facile mihi persuadeo, Xenophontem sin minus antea, at statim post pugnam Deliensem familiaritatem ejus petiisse, cujus fortitudine morti vel captivitati ereptus fuisset.

Quid vero Xenophon per totum belli Peloponnesiaci tempus egerit, definire non audeo. Legimus apud Philostratum (Soph.

v. I., 12. cf. Krüg. l. l. p. 17. Schneid. ad anab. 2, 6, 16. id. ad Mem. 2, 1, 21), Xenophontem a Boeotis esse captum et Thebis captivum esse cum Prodico versatum Ceo; plane tamen ignoramus et quo tempore hoc sit factum et quamdiu in Boeotia commoratus sit Xenophon. Krügerus (l. l.) hoc ait Xenophonti accidisse, cum Boeoti, teste Thucydide (8, 60), Oropum omnesque ibi Athenienses proditione caperent, Ol. 92, 1. Equidem id tantum confirmaverim, Xenophontem, quo erat rei bellicae studio, multis Atheniensium contra Lacedaemonios, alios Graecos expeditionibus interfuisse et eam rei militaris peritiam sibi comparasse, qua paullo post in expeditione Cyri minoris excelleret. Tempore autem, quo armis vacabat, ad Socratis doctrinam percipiendam usus, cui commercio Memorabilium libros debemus, sine dubio Athenis degit. Constat hoc tantum, eum Athenis fuisse, cum a Proxeno, quocum Thebis amicitiam inierat, invitaretur, ut Cyri contra Artaxerxem fratrem expeditionem sequeretur (Anab. 3, 1, 4 sqq.). In Asiam igitur profectus, Ol. 94, 4, illius expeditionis particeps mox dux est factus atque exercitum Graecorum, qui Cyro duce Persarum regi intulerant bellum, servavit multisque periculis feliciter superatis Thimbroni tradidit. Ol. 95, 1. (Anab. 7, 8, 24. h. gr. 3, 1, 6). Jam vero de loco, quo se postea Xenophon contulerit, magna est virorum doctorum dissensio; quaeritur enim utrum, postquam Thimbroni exercitum tradiderit, in Graeciam abierit, an in Asia comes Thimbronis Dercyllidaeque et Agesilai remanserit.

De qua re Schneiderus (praef. ad Xen. h. gr. p. XIX. not. d.) haec dicit: „post Cyri expeditionem et mortem ex Asia rediit in „Graeciam, incertum tamen an Athenas attigerit. Brevi ante „mortem Socratis hujus cum Critobulo sermonem narrat, mortem „autem Cyri memorat in Oeconomico (4, 18). Socrates mortuus „est Ol. 95, 1; Cyrus Ol. 94, 3 secundum Larcherum, post duos „annos rediit ex Asia Xenophon, ergo ineunte Ol. 95, 1 ante „mortem Socratis, cujus judicio an interfuerit dubitari potest, quo„niam in apologiae sect. 2, si genuina est, antestatur Hermogenis

„narrationem, quasi ipse morienti non adfuerit." — Contra Krügerus (l. l. p. 21) haec: „Ac vere conjecisse arbitror Morum, qui „τὸν τῶν Κυρείων προεστηκότα (h. gr. 3, 2, 7) Xenophontem „intelligit. Suspicionem hanc movet, quod nomen hominis non „ponitur, quodque dux laudem Dercyllidae insignem tribuit Laco„nica brevitate (?) conditam, quem eundem Dercyllidam Xeno„phon magna laude affecit. Manserit igitur apud exercitum etiam „postquam Thimbroni eum tradiderat." Ad hanc sententiam confirmandam affert Krügerus locos quosdam ex historia graeca petitos, quibus res eae narrantur, quae non facile describi possent, nisi ab eo, qui eas vidisset. Affert h. gr. 3, 1, 20. 3, 2, 5. 14. sqq. 3, 4, 13. 16. 21. 25; quibus adde h. gr. 3, 1, 6. 10 sqq. 17. 3, 2, 19. 3, 4, 14. Facio igitur cum Kruegero, Xenophon enim ipse (Anab. 5, 3, 6) testatur, se cum Agesilao ex Asia rediisse, quare, si Schneideri sententiam sequeremur, statuendus esset Xenophon paullo post suum ex Asia reditum iterum in Asiam proficisci, quod mihi improbandum videtur, praesertim cum difficile sit dictu, in qua Graeciae urbe commoratus sit Xenophon. Athenis? Sed tum profecto Socratis interfuisset judicio, quod si accidisset, non esset dubium, quin in ullo librorum nobis tradidisset loco. Arbitror igitur, Xenophontem ab Ol. 94, 3 vel 4 usque ad Ol. 96, 3 (cf. Bornemann. adn. ad vit. Xen. § 7, p. XXVII. in ed. Cyrop.) in Asia esse moratum, initio τὸν τῶν Κυρείων προεστηκότα, postea vero amicum et sodalem Agesilai, qui (h. gr. 3, 4, 20) Cyri mercenariis Herippidam praefecerat. Postea Agesilaum secutus cum illo in Europam trajecit Xenophon et in pugna apud coroneam commissa contra Athenienses a partibus stetit Lacedaemoniorum (Ages. 2, 6. 9).

Accedit quaestio varia et multiplex de tempore, quo multatus sit Xenophon exilio, qua de re qui scripserunt in diversas abeunt partes. Kruegerus (l. l. p. 20—27) demonstrare conatur, Xenophontem Ol. 95, 1 ab Atheniensibus ἐπὶ Λακωνισμῷ in exilium esse missum, quod etiam videtur Spillero (l. l. p. 48) et Weilio (in ephemerid. ad antiquit. pertin. 1842. p. 145) et Schneidero

(proleg. ad libell. de rep. Athen. p. 95. ed. Sauppe). Contra Niebuhrius (*über Xen. Hellenica. p. 467*) contendit, Xenophontem tum demum exilio esse affectum, cum comes Agesilai ex Asia rediisset, quod est post pugnam apud Coroneam commissam, cum statuat Xenophontem paullo aute pugnam apud Cnidum, quae eodem fere tempore est commissa atque pugna apud Coroneam (h. gr. 4, 3, 10—13. 16), Athenis esse versatum. Ad sententiam suam firmandum utitur Niebuhrius loco Anabasis 5, 3, 6. sq., quo Xenophon, quomodo pecuniam, quam de praeda accepisset, distribuerit, commemorans, iter, quod Agesilaum secutus in Boeotiam susceperit, narrat (sect. 6) et postea demum (sect. 7) refert, se exilio esse multatum. Ac mihi hoc ipsius Xenophontis de hac re testimonium tam grave videtur, ut non dubitem, quin meam quoque sententiam Niebuhrii adscribam sententiae, quamvis et Diogenes Laërtius (v. Xen. § 7 ed. Bornem.) et Pausanias (V, 6) contrariam diserte testentur opinionem, neque me fugiat, difficile esse dictu, quam ob causam tam diu, novem fere annos, in Asia manserit Xenophon, nisi civium prohibuisset odium, quominus in patriam reverteretur; sed multa exstant alia in Xenophontis vita explicanda, quae pari laborant obscuritate. Eximium Xenophontis in Lacedaemonios studium causam exilii fuisse omnes consentiunt neque minus omnibus persuasum est, Xenophontem exulem prope Scilluntem (cf. Schneider. epimetr. ad Anab. 5, 3, 8), Eleorum oppidum, vixisse in agro, qui a Lacedaemoniis erat ei donatus (cf. Krüger. l. l. Diog. Laërt. l. l. § 8. Spiller. l. l. p. 48. Haase praef. ad remp. Lac. p. 10), ibique literis, venationi, amicis operam dedisse (cf. Anab. 5, 3, 7—13). Quo in refugio per longum degit temporis spatium inde ab Ol. 96, 4 usque ad Ol. 102, 2 vel etiam diutius (cf. Sauppium: praef. ad Xen. opusc. polit. p. XXX., ubi legitur Ol. 93, 4—102, 2, quod nihil nisi error typographicus esse videtur posse cf. ibid. p. LVII.). Anno enim secundo Ol. 102 Elei, Lacedaemoniorum adversarii inita cum Thebanis societate, cum exercitu in Scilluntem invaserunt et Xenophontis agrum cum aliis vastarunt (Krüg.

l. l. p. 26. Spiller. l. l. p. 49). O. Muellerus (Orchom. p. 375) hanc invasionem ad Ol. 103, 4 refert. (cf. Hellen. 7, 4, 12 sq.) Xenophon septuagenarius aliam quaerere sedem coactus, Lepreum et postea Corinthum se contulit. Fide enim vix dignus videtur Pausanias, commemorans (5, 6, 4), Eleos, ut secure viveret Scillunte Xenophon, passos esse, cum multo videatur probabilius, Pausaniae hoc persuasisse Eleos, quos Xenophontem senem de praedio depulisse puderet. Paullo post etiam ex exilio revocatus est Ol. 102, 4 vel 103, 1 (cf. Schneid. proleg. ad libr. de vectt. p. 144 ed. Sauppe. Krüger. l. l. p. 27), quam redeundi potestatem nactus Corinthum tamen non amplius videtur reliquisse (Böckh. Oecon. Athen. II. p. 144). Corintho certo mortuus est (Diog. Laërt. § 11 ed. Bornem.); sed non satis accurate dici potest, quo anno occubuerit. Eum enim Ol. 105, 1 mortuum esse, quod statuit Diogenes Laërtius, plane falsum esse inde apparet, quod ipse Xenophon (h. gr. 6, 4, 36) Alexandri Pheraei commemorat necem, quae Ol. 105, 4 assignanda videtur (Spiller. l. l. p. 45. Krüg. l. l. p. 30). Schneiderus (praef. ad Hellen. p. IX. sq.) Xenophontis mortem ad Ol. 105, 4 referre videtur, neque enim aperte suam hac de re profitetur sententiam, sed (p. XIX. not. e.) haec solum scribit: „At vero si librum de reditibus post Olympia-„dem 105 scriptum statuimus et si vera Luciani narratio de annis „vitae Xenophontis, tum longe major existit difficultas.“ Luciani in Macrobiis (cap. 21. T. III. p. 223) locus est: ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα ἐβίωσεν ἔτη (sc. Xenophon). Nec videoe quidem, cur haec inter se conjungere non potuerit Schneiderus. Lucianus nihil dicit, nisi Xenophontem plus nonaginta vixisse annos; quid igitur prohibet, quominus statuamus, Xenophontem nonaginta et unum vel duos habuisse annos, cum supremum diem obiret. Schneiderus ipse (l. l. p. X.) Xenophontem dicit, cum Ol. 94, 3 expeditioni interesset Cyri, quadraginta et tres natum fuisse annos; itaque non intelligitur, cur Xenophontem librum de reditibus initio Ol. 106 scribere potuisse neget (cf. Schneid. prol. ad libr. de vect. p. 145 ed. Sauppe. Schneid. ad Cyr. 8, 8, 4). Sed longum est

omnes virorum doctorum de tempore, quo Xenophon mortuus sit, sententias repetere (cf. Krüg. p. 30. l. l.); equidem assentior Spillero (l. l. p. 45) Xenophontem Ol. 106, 3 obiisse probanti (cf. Böckh. de simultate, quae Platoni cum Xen. intercessisse fertur. Berl. 1811. p. 27. ann. 3).

Duas eum duxisse uxores nobis traditum est, quarum alteri Sotirae nomen erat; ex altera, Philesia, quam Xenophon fortasse ex Asia secum duxit, duos genuit filios, quos Spartam missos ibique educatos esse testatur Plutarchus (Ages. 20. — Krüg. l. l. p. 19), quorum, cum uterque pugnae apud Mantineam commissae interesset, alter, Gryllus, cecidit, alter, Diodorus, superstes est relictus.

Iis, quae modo disserui, primum explicari videtur sententia, quam supra proposui, statuens e Xenophontis opinione non posse reipublicae cives esse bonos, quin fortes sint milites, eumque, qui bonus sit exercituum dux, summum esse assecutum, quod viro sit appetendum; quae Xenophontis sententia quibusdam mira poterit videri, inprimis si respexerint locos Xenophonteorum librorum quosdam, ut libri de vectigalibus scripti 5, 2, ubi Athenienses gravissime ad servandam pacem colendamque cohortatur, civitatem eo feliciorem esse praedicans, quo longius per temporis spatium pace usa sit (cf. Hier. 2, 7). Quam ob rem Weiskius (de ingenio Xen. disp. p. 37) Xenophontem ait, quamvis se vel maxime bellicosum praebuerit, tamen natura fuisse mansuetiorem et, ut deceret philosophum, pacis quam belli amantiorem. Quae etsi concederem, facile tamen probari posse mihi videretur, Xenophonti nihilominus necesse visum esse, cives bellicis artibus quam maxime operam darent, cum facile sit intellectu, ejus praesertim reipublicae cives in pace esse solere, qui, quae ad bellum pertinerent, semper providerint; omnino tamen mihi illa Weiskii sententia non ita placet. Quamvis enim illo loco pacem civibus a Xenophonte summopere commendari concedi debeat, tamen ratio habenda est temporis, quo scriptus videatur esse de vectigalibus liber; ac cum viri docti omnes assignent hunc libellum

Ol. 106, 2 (cf. Sauppe l. l. p. XLIV. — Schneider. proleg. ad libr. de redit. p. 145 ed. Sauppe. — Krüger. quaestt. de vit. Xen. p. 30. — Böckh. Oecon. Athen. II. p. 144. — Schneid. annot. ad libr. de vect. 4, 25. p. 167. ed. Sauppe), cumque ex iis, quae protuli, appareat, Xenophontem tunc fuisse summa senectute confectum, mirum non videtur, eum pacis se praebere amantem; senes enim plerique omnes bellum oderunt. Atque illud, quod dicit Weiskius, Xenophontem ut philosophum decere pacis esse amantiorem quam belli, quid sibi velit, me non satis perspicere ingenue fateor. Neque enim fuisse Xenophontem constat philosophum eum, qui doceret res, quarum nullus esset usus; certum potius est, omnia et Xenophontis et Socratis magistri praecepta solum spectare usum, Xenophontem adeo ubique fere ad vitae quotidianae mores et consuetudines deflectere solere. Plane igitur congruit vitae genus, quod aliis commendat, cum eo, quod ipsum secutum esse videmus Xenophontem, qui ab anno aetatis vicesimo usque ad quinquagesimum stipendia sit meritus; eumque, ut ita vitam institueret, permotum esse temporum, quibus vixit, ratione habita neminem fugit. Si enim in universum res illo tempore a Graecis gestas spectamus, vix unum per totam Xenophontis vitam intelligimus inveniri annum, quo bellum non esse gestum traditum sit, neque vero illud inter hanc et illam urbem ortum, sed vehemens continuumque inter omnes fere Graeciae civitates excitatum; incidit enim in istam aetatem clarissimum illud et tristissimum primum inter Lacedaemonios et Athenienses, tunc inter Lacedaemonios et Thebanos consertum de summo imperio certamen. Nullo igitur negotio intelligitur, bellicam magni esse aestimatam virtutem eo tempore, quo fortissimus quisque frumentum ab aliis satum demeteret et arbores ab aliis positas caederet; quo (Mem. 2, 1, 12) potentiores quovis vexarent modo inferiores, donec eos sibi subjecissent. Quis igitur miretur, a Xenophonte, qui, quem quaeque res praebeat usum, quique ex ea percipi possit fructus, ubique quam diligentissime spectet, fortitudinem omnium virtutum tanquam summam

laudari. Quin vero e virtute bellica maxima proficisci commoda sibi persuasum habuerit Xenophon, dubitari non potest, cum in sententiarum, quibus maxime delectatur, numero hae quoque sint: omnia bona in medio proposita esse et contingere iis, qui sint fortissimi (Cyr. 3, 3, 44 sqq. 7, 1, 13. Anab. 3, 1, 21. 3, 2, 26. 28. 39. 5, 6, 32); victoria parari, clade amitti omnia (Cyr. 2, 1, 17. 4, 2, 26); quae sententiae si cui forte minus videantur dignae eo, qui semper, ut justitiam maxime sequantur, hortatur aequales, docemur (Cyr. 6, 1, 55), eos, qui bello superent hostes et ipsos servari et bona uti conditione neque non facere justa; quod alio loco ita explicatur (Cyr. 7, 5, 73), ut lege aeterna dicatur esse institutum, ut urbe hostium capta, qui vicerint et victis ipsis utantur servis et bonis eorum potiantur. Demonstrant certe haec a Xenophonte dicta ingenium seculi illius, quo cum summa rerum saepe penes exercitum fortem esset et tutius esset victum quotidianum armis quam instrumentis rusticis parare (Oecon. 5, 13. Cyr. 5, 4, 28), non sine idonea ratione statuisse videtur Xenophon, eos esse bonos cives, qui sint milites boni; bellica igitur studia civibus maxime esse commendanda, exercitatione enim in armis sola fortitudinem esse appetendam neque esse tam praeclaram adhortationem, ut ea, qui non sint fortes, statim reddi possint fortes (Cyr. 3, 3, 50). Atque intellectum iri opinor, primas in rebus publicis, quibus semper esset bellum gerendum, fuisse partes exercituum ducis, ad quod cum accedat, quod maximam forti et sapienti imperatori nasci gloriam experientia edoctus sciret Xenophon, qui summam sibi comparasset laudem eo, quod decies mille Graecos cum Cyro contra Persarum regem profectos et in extrema pericula adductos in patriam reduxerat incolumes, non mirum est, Xenophontem existimasse, eum, qui bonus esset exercituum dux, summum esse assecutum.

Fuisse talem Xenophontis sententiam non solum e Cyropaedia, sed etiam omnino ex omnibus ejus scriptis apparet, quae non male in duas sejungenda videntur partes, quarum altera com-

plectatur libros, qui historici appellari solent, historiam graecam et Anabasin, altera reliquos omnes ejus libros, quos philosophicos appellare licet. Atque ut ab his incipiam, eorum varia est ratio; alteros enim, quibus Socratis tantum continentur praecepta, ad Socratem defendendum conscriptos esse dixi, alteris vero res quae Xenophonti ipsi commendandae videbantur, ita tractatae sunt, ut Socraticam semper respexisse disciplinam negari non possit. In illis vero tractandis rebus, si nobiscum consideramus, quam viam sit secutus et quas sibi res tractandas elegerit, apparere arbitror, eum studium et operam collocasse inprimis in rebus ad bellum pertinentibus et diligenter exponere solere, quae sit illarum rerum ad bellum gerendum vis et potestas. Sic venationis et agriculturae studium propterea laudat, quod qui iis operam dent, fortes fiant milites (Cyneg. 12, 1. 8. Oecon. 5, 1—9. 13. 15. 19. 4, 2); sic libellus, qui de re equestri inscribitur, in eo potissimum versatur explicando, quomodo equus sit erudiendus, ut eo in bello possis uti (de re equ. c. 8. c. 12. 11, 13); sic in illo quoque libello, qui est de vectigalibus scriptus, diserte exponit, ab Atheniensibus auctis reditibus facilius hostes posse vinci (de vect. 4, 51), neque esse timendum, ne hostes invasione facta potiantur argentifodinis (de vect. 4, 43—48), dummodo Athenienses, quae praecepisset, perfecerint. Reliqua vero si spectamus Xenophontis opuscula, illis aut artis imperatoriae partem quandam, quemadmodum libello, qui est de officio magistri equitum, aut omnino aliis imperandi artem describi intelligimus. Tale consilium esse libelli, qui ab Hierone nomen accepit, patet (cf. c. 7—11); consilium vero illius libri, qui est de re familiari bene tuenda, longius ab eo abesse videri potest; tamen quod Socrates (Mem. 3, 4) demonstrat, bonum choragum et oeconomum esse posse bonum imperatorem, et illis enim et huic multa officia esse communia (Mem. 3, 4, 8—12), idem Xenophontem quoque censuisse et per se probabile est et disertis ab eo docemur verbis (Oec. 21, 2), utrumque enim ait imperandi aliis peritum esse debere, quam ob rem saepe oeconomus cum imperatore

(Oecon. 20, 6—9. 21, 4—8), res domestica cum rebus bellicis comparata est (Oecon. 8, 3—7. Cyr. 2, 2, 26. 8, 1, 14 sq.); ut, quod interesse inter oeconomum et imperatorem apparet, quod imperator multis, oeconomus paucis tantum imperat, id pro nihilo plane a Xenophonte habitum esse videamus. Est vero haec Xenophontis sententia, ex qua qui sciat, quomodo sit paucis imperandum, multos quoque dicitur regere posse, Socratica, cum Socrates (Mem. 4, 6, 11) eos solos, qui quomodo re quacunque sit utendum sciant, perficere posse quae sibi proposuerint, statuat; itaque si quis, quomodo sit regnandum, cognoverit, ab eo et paucos et multos posse regi (Oecon. 13, 5), et eos tantum reges posse nominari, qui regnandi sint periti (Mem. 3, 9, 10); artem igitur regnandi non minus quam artem ferrariam, medicam, alias esse *ἐπιστήμης τινὸς ὄνομα* (Oec. 1, 1). Elucere igitur opinor, artem regnandi a Xenophonte in Oeconomico quoque traditam esse.

Duo jam restant e Xenophontis scriptis minoribus, liber qui est de republica Lacedaemoniorum, et encomium Agesilai; librum enim de republica Atheniensium scriptum, quem vulgo Xenophonti solent tribuere, non esse Xenophonteum mihi quidem persuasum est; sed cum mea non intersit fusius hanc rem explicare vide de ea A. Platenium (de auctore libri, qui est de rep. Athen. p. 29—32), G. Kergelium (de tempore, quo scriptus sit libellus, qui vulgo fertur Xenoph. etc. p. 1), Sauppium (proleg. ad Xen. opusc. polit. p. XXXVII). Atque in libro, qui est de republica Lacedaemoniorum, quamquam Xenophontem occupatum esse dixi maxime in laudandis legibus Lycurgi, tamen et in universum intelligimus illam Lacedaemoniorum institutis tribui laudem non minime propterea, quod omnia fere ad bellum pertinent; et inprimis Xenophontis ingenium produnt hujus libri capp. XI. et XII., quibus comprehensa est disputatio de re militari Lacedaemoniorum, quam alienam esse ab eo, qui nullum spectet usum nisi moralem, praeterea facile credas (cf. Haase praef. ad libr. de rep. Lac. p. 14). De Agesilai encomio, quo praeclara

Agesilai facta enarrari ejusque mores laudari ipsa libri inscriptio docet, quid sit statuendum, infra dicetur, sed per se intelligitur in illo quoque scripto Xenophontem magnam partem in laudanda Agesilai fortitudine et rerum bellicarum peritia versari, cum Agesilaus inprimis magnis rebus bello gestis excelluisset.

Paucis his disputatis de minorum Xenophontis librorum consiliis non injuria contendere mihi videor, Xenophontem in eligendis librorum argumentis potissimum delectatum esse iis, quibus praecepta tradere posset, quibus idonei redderentur aequales, qui aut bellum gererent aut exercitui aut reipublicae praeessent; eumque in iis quoque libris, in quibus ut rerum usum et pretium e morali ratione aestimaret sibi proposuerit, illorum praeceptorum prae ceteris rationem habuisse, cum arctissime inter se cohaerere arbitrer praecepta de iis, quae reipublicae principi sint agenda, et de officiis boni imperatoris. Etenim ut eum, qui reipublicae praesit, illo munere bene fungi non posse censet Xenophon, nisi peritus sit rei militaris et artis imperatoriae, ita eum profecto, qui bonus sit exercituum dux, bonum statuit esse reipublicae principem; quam ei sententiam facile oriri potuisse opinor e rebus illo tempore gestis; saepe enim legimus a Lacedaemoniis exercituum duces ad regendas civitates esse missos, quos ἁρμοστὰς vocabant, et Xenophon ipse fatetur (Anab. 5, 9, 21), se civitatem aliquando condere voluisse eamque sibi, cum praeesset exercitui, non semel occasionem esse oblatam. (Anab. 7, 1, 21.)

Reliquum est, ut istarum rerum studium in libris quoque historicis demonstrem a Xenophonte non esse neglectum; et de illis egregie mihi judicasse videtur G. F. Creuzerus (de Xenophonte historico. Lips. 1799), cujus haec fere sunt verba (p. 45 sqq.). Dixerat vir doctus, certos quosdam esse locos numero admodum paucos, quibus Xenophontis omnem historiam ad certa aliqua officiorum dictamina revocantis studium maxime prodatur, illos locos ubique regnare, eos quaecunque majori studio et praecipuo amore exposita esse videantur, occupare in episodiis praesertim, dialogis, orationibus ubique fere obvios et

conspicuos quodammodo; et in illorum locorum numero ait esse etiam locum de officiis et virtutibus exercituum ducis. „Atque „ut ab Anabasi, inquit, incipiam, quis, quaeso, ei historiae, „quippe quae cum virum exhibeat, qui ingenio, constantia, elo- „quentia, industria ea perfecerit, quae perfici posse omnes „desperaverint, ut exercitum victorem, at eundem fortunae „quadam invidia in ultima pericula adductum ab hostium telis, „a coeli intemperie incolumem in patriam reduceret; igitur quis ei „historiae rerum militarium uberrimam expositionem aptissimam „et accommodatissimam esse infitiabitur?“ Eandem esse ait Cyropaediae rationem; in utroque enim libro, et in Anabasi et in Cyropaedia, a summi alicujus viri imagine pendere omnem historiae summam; itaque cum imperandi arte idem excelleret, in hujus loci copiosa tractatione nihil esse, quod vel ab universo scriptoris proposito vel ab historiae intra angustiores limites sese continentis χαρακτῆρι abhorrens videri possit aut alienum; attamen in Cyropaedia inde oriri quandam tractationis inaequalitatem non negat. De Hellenicis vero haec statuit (cf. Spiller, l. l. p. **31** sq.): „In ejus operis locis plurimis, inquit, ubi in prolixiorem descen- „dit rerum expositionem, solis militaris prudentiae exemplis „proponendis eum fere occupatum esse cernimus. Legat mihi „aliquis rerum Agesilai, Teleutiae, Iphicratis, Mnasippi, aliorum „narrationes. Qui duces quo animo in subditos fuerint, qua ra- „tione militum corpora exercuerint eorumque animos fortes, vigiles „et constantes fecerint, in his multus Xenophon, aliorum ducum „temeritatem et asperitatem vituperans, commendans aliorum „industriam et lenitatem. Uti haec non negligenda erant in ea „scilicet historia, quae bellicis maxime rebus commemorandis „absolvatur, ita justam reprehensionem effugere nequeunt, si „aliarum rerum non minus necessariarum adpareat vel omnino „omissio vel negligentior tractatio. Et vero haec ita esse fugiat „neminem vel obiter comparantem Xenophontis in his copiam „cum brevitate in aliis et summis illis.“

Non minus igitur in historiis quam in reliquis scriptis Xeno-

phontem studium et operam in eo collocasse apparet, ut artis imperatoriae traderet praecepta, qua re et ipsa mea firmatur sententia statuentis, Xenophonti hoc cuique summopere appetendum visum esse, ut bonus fieret exercitus dux.

Quapropter si ponderamus Xenophonti, qui multos per annos in castris vixisset et in illa sibi persuasisset vita, solum militem fortem res agere viro bono dignas, etiam contigisse, ut Lacedaemoniorum, e quibus magna pars exercitus Cyro duce contra Artaxerxem profecti constaret, commilito fieret et contubernalis in illa expeditione; si consideramus, eum septem fere annos apud Lacedaemoniorum exercitum in Asia commoratum esse, quod ita se habuisse si minus certum, at verisimile est; ibique penitus perspexisse, Lacedaemonios esse in omnibus rebus ad bellum pertinentibus quasi artifices (r. L. 14, 5) neque quicquam rerum bellicarum ab iis esse neglectum (r. L. 12, 7), mirum esse desinit, quod Lacedaemoniorum praecipuo amore captum esse intelligimus eum, qui Socratis disciplina eruditus a magistro, cujus religiose ubique pressit vestigia, Lacedaemonios summis laudibus elatos esse meminisset. Accedit enim ad haec, quod in intimam Agesilai Lacedaemoniorum regis pervenerat amicitiam, quem unum praeter Socratem omnibus illis virtutibus, quas maximas esse a Socrate doctus erat, ornatum cernere sibi videbatur, et illo familiaritatis vinculo eum cum Agesilao conjunctum fuisse usque ad Agesilai mortem testatur libellus ille, qui Agesilai encomium inscribitur, quem a Xenophonte statim post Agesilai mortem, Ol. 105, 1, in lucem esse editum affirmant viri docti (cf. Heiland. praef. ad Xen. Ages. p. 143. Breitenbach. progr. gymn. Silus. p. 2. 1842). Etsi igitur, cum ejus laudationis hanc posuerit summam (Ages. 10, 1), fuisse Agesilaum ἄνδρα παντελῶς ἀγαθὸν, illius libelli non magna esse videtur fides historia, eo major certe conspicua fit auctoris amicitia et grati animi erga Agesilaum pietas (Schneid. descr. encom. Ages. p. 267). Qamvis jam illis, quae modo commemoravi, declaretur causa studii Xenophontis in Lacedaemonios,

tamen alia multa addi possunt, quae si respexeris, fatearis necesse est, fieri non potuisse, quin Xenophontis animus abalienaretur ab Atheniensibus.

Atque contendere licet Xenophontis in Lacedaemonios studium una cum ipso esse natum; neque enim ignoramus illo tempore binas in quacunque fere Graeciae urbe fuisse partes, quarum altera Lacedaemoniis faveret, altera Atheniensibus (h. gr. 6, 3, 14); itaque Athenis quoque duae erant partes, quarum altera alteri adversabatur; et optimates quidem ubique a Lacedaemoniorum stabant partibus; itaque utri illarum addictus fuerit Xenophon, quem nobili loco natum esse supra vidimus, haud videtur dubium. Neque illius causa, quod a Socrate doctus erat, Atheniensium instituta multis laborare vitiis et Atheniensium multos mollitiae et inertiae deditos esse, intelligitur non contemtos esse Athenienses a Xenophonte, qui plurimi fecit bellicam virtutem, non immemor ejus, quod praecipit Socrates (Mem. 3, 9, 14), studio recte agendi quemque debere teneri. Accedit, quod Socratem dilectissimum Xenophontis magistrum Athenienses capitis condemnaverunt, Xenophontem ipsum exilio multaverunt, quod ad conciliandam sibi Spartanorum amicitiam non solum Atheniensium odio adducebatur, sed etiam eo, quod docet et Socrates (Mem. 2, 6, 1) et Xenophon ipse (Anab. 2, 5, 11), in amicis quoque eligendis rationem esse habendam commodorum, quae ex eorum amicitia possint percipi. Penes Lacedaemonios vero illa aetate summa erat potestas, eorumque plurimum valebat auctoritas (h. gr. 3, 1, 3. Haase ad r. L. 15, 6) et ipse Xenophon quanta pietate Spartanorum coluerit principatum saepius testatur (Anab. 5, 9, 26. 7, 1, 30); neque eum, qui e re sua crederet esse se ad Lacedaemoniorum conferre amicitiam, spe esse lapsum, demonstratur eo, quod ab iis agro illo Scilluntio donatus est, ubi ab Atheniensibus exilio affectus per multos annos vitam degit otiosam. Omnibus igitur his rebus quamvis non solum explicari, sed etiam excusari et defendi Xenophontis in Lacedaemonios studium arbitrer, tamen ille et Lacedaemoniorum institutorum et

Spartanorum amor tantus in eo fuisse videtur, ut non sine idonea ratione a civibus exilio multatus esse dicendus sit, cum valde dubitare liceat, num patriae amans possit nominari is, qui magnam vitae partem in hostium castris versatus affirmet (Cyr. 2, 2, 26), in eligendis commilitonibus non esse spectandum ut sint populares, sed ut sint boni.

His sane obstare videntur consilia librorum Xenophontis quorundum minorum, quibus id egisse videtur, ut aliquid conferret ad civitatem patriam augendam et sublevandam, atque ex iis apparere scriptis, quam fuerit patriae amans ejusque salutis studiosus (cf. Sauppe. proleg. ad Xen. opusc. polit. p. XLII. XLVIII. XLIX. LIII.). Neque, cum omnes illi libelli, qui sunt de re equestri, de officio magistri equitum, de vectigalibus scripti, a Xenophonte sene confecti esse videantur (ab Ol. 103 usque ad Ol. 106. cf. Sauppe. ll. ll.), postquam cum eo in gratiam redierunt Athenienses eumque ex exilio revocarunt, quo tempore filios quoque cum Atheniensibus ad pugnam apud Mantineam commissam fertur misisse (Ol. 104, 3. Schneid. ad h. gr. 7, 5, 18), nego, talia esse consilia illorum librorum, sed iis non demonstrari opinor, Xenophontem tunc minus fuisse Lacedaemoniorum studiosum, cum Athenienses illo tempore, quo Thebani erant hostes Lacedaemoniorum capitales, Lacedaemoniis essent aut socii, quemadmodum in illa quoque pugna iis opem contra Thebanos tulerunt, aut adversarii minime timendi.

Utrum vero Xenophon Lacedaemoniorum studium per totam vitam servaverit necne, de hoc nobis judicandum censeo maxime ex iis, quae in historiae graecae libris tradita sunt, cum illius historiae libros postremos a Xenophonte brevi ante ipsius mortem ad finem esse perductos vel eo appareat, quod in iis res usque ad Ol. 105, 4 gestas narrat (Spiller. l. l. p. 42). Omnino autem de illo opere, si Xenophontis erga Lacedaemonios studium respicimus, plane alio judicio videtur esse utendum quam de reliquis ejus libris; atque ad ea, quae ad hanc nostram rem pertinentia in historiae graecae libris inveniantur, judicium

nostrum formandum esse existimo, utrum illud Xenophontis studium nimium videatur fuisse annon. Quae enim ejusmodi in aliis Xenophontis reperiuntur scriptis, eorum multo minor videtur mihi esse ad nostrum judicium potestas, quam eorum, quae in illa leguntur historia, cum hanc inprimis ei, qui ad historiam scribendam accedat, imponendam esse legem censeam, ut animus ejus sit ab omni partium studio alienus. Atque vix ullum est Xenophontis opus, de quo quid sit statuendum tantopere inter se dissentiant viri docti. Ut enim in universum alii affirmant, in illis libris a Xenophonte omnem ingenii sui venustatem, animi simplicitatem, honestatis amorem et in deos pietatem verbis tam puris expressam esse et elegantibus, ut imago animi et ingenii morumque ejus exstet in iis verissima (Schneid. praef. ad h. gr. p. XI.), alii eorum notant exilitatem, languorem, siccitatem (F. A. Wolf. in epist. ad Schneid. p. 126. Creuzer. l. l. p. 35); ita inprimis de eo, num et quale prodatur in historia graeca Xenophontis in Lacedaemonios studium et Atheniensium odium, inter se discrepant.

In illo dijudicando non parvi momenti est sententia, quam primus protulit Niebuhrius (*kleine histor. u. philol. Schriften p. 464)* affirmans, historiam Xenophonteam sejungendam esse in duas partes, quarum altera libros duos complectens primos, Thucydidis ad finem perducat historiam, altera continens libros postremos quinque proprie sit historia graeca nominanda; eumque haud pauci sunt secuti (cf. Spiller. l. l: p. 27). Niebuhrii sententia nititur inprimis loco in fine libri secundi historiae graecae, ubi Xenophon enarratis rebus a Thracybulo gestis haec scripsit: *καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.* Cum quae ibi narrantur a Xenophonte, triginta tyrannorum expulsio et reconciliatio partium populi Atheniensis, Ol. 94, 1 accidissent, sextus vero et septimus historiae graecae liber certe non ante Ol. 105, 4 sit confectus, et Niebuhrius et Spillerus, quamvis permultis, quae disputaverunt viri docti de editis a Xenophonte libris Thucydidëis, non assentiar, tamen optimo jure demonstrasse mihi

videntur, verba illa a Xenophonte in fine Ol. 105, id est quadraginta minime annis post, scribi non potuisse, et propterea probabile esse, primos duos historiae graecae libros ab eo editos esse statim postquam cum Agesilao ex Asia redierit (Ol. 96, 4. cf. Niebuhr. l. l. p. 467. Spiller. l. l. p. 38). Quae cum ita sint, mirum esse non potest, quod etiam, esse Xenophontem animo alio in Lacedaemonios et Athenienses in altera historiae illius parte, alio in altera contendunt ii, qui hac de re disseruerunt. Spillerus quidem id negat (l. l. p. 32. 34) et Xenophontem, ait, ubique se locupletem ostendere auctorem et sincerum rerum gestarum pronuntiatorem; sed ejus sententiam falsam esse spero fore ut ex iis, quae jam proferam, eluceat. Niebuhrius (l. l. p. 466) in priore historiae parte Xenophontem juste de Atheniensibus judicare, in posteriore ingenium prodere prorsus Lacedaemoniorum studio infectum censet; Haasius vero (praef. ad libr. de rep. Laced. p. 25) contrariam fere defendit sententiam, qui historiam graecam initio quidem dicat totam fere in Lacedaemoniorum rebus versari, ceterosque Graecos leviter tantum et strictim attingere.

Atque primum illud perponderemus, quod contendit Niebuhrius, Xenophontem in primis duobus historiae graecae libris juste de Atheniensibus judicasse; quam Niebuhrii sententiam egregie mihi videtur refutasse Spillerus (l. l. p. 33), qui justum illud Xenophontis judicium valde desiderari dicit in locis, qualis sit Hellen. 2, 2, 3. 10, ubi narret Xenophon, nuntio de calamitate apud Aegospotamos Athenas perlato, Athenienses existimasse, se passuros esse ea, quae prius in Melios, Histiaeenses, Toronaeos, Aeginetas, alios graeci nominis permultos ipsi perpetravissent, neque sibi reliquam esse salutem, sed vicissim perpetienda, quae ipsi non illatas injurias ulciscendi studio, sed mera petulantia adversus humilium oppidorum incolas designavissent; hunc igitur locum Spillerus censet irrisionem magis, quam animum Atheniensibus benevolum prodere; atque equidem plane cum eo consentio (cf. h. gr. 2, 2, 23 in fine). Rectius igitur Niebuhrio videtur statuisse Haasius, Xenophontem inde a libro primo usque

ad sextum solas fere res Lacedaemoniorum narrare; et inprimis eum delectari cernimus commemorandis rebus ab Agesilao gestis, eumque libentissime ad hujus viri digredi mores describendos (h. gr. 5, 4, 25 sqq. 4, 1, 30 sqq. 3, 4, 11. 4, 1, 4 sqq. 4, 5, 4. 8, 18); quamobrem Niebuhrius hoc vinculo ait postremos historiae graecae libros inde a tertio esse conjunctos, quod res omnes, quae narrentur, ad Agesilaum sint referendae, ut historia graeca proprie sit historia rerum ab Agesilao gestarum, qua Niebuhrii sententia, etsi non videtur probanda, certe demonstratur, multum esse Xenophontem in rebus Agesilai narrandis, cum iis tantum per librum tertium, quartum, quintum occupatus sit.

Reliqua est quaestio, num recte dici possit Xenophon mutavisse sententiam de Spartanis, ad quos eum esse juvenem adductum affirmat Haasius, sperantem fore ut perfectam civitatis bene institutae speciem, qualem sibi e Socratis praeceptis informasset, suis oculis adspiceret, sed eum illa spe, cum diu Spartae aut prope Spartam viveret, esse dejectum; et hujus rei exstare testimonia et in epilogo (cap. XV.) libelli de republica Lacedaemoniorum et in historia graeca, cum in hujus operis libro sexto et septimo longe alius sit autoris in Spartanos animus, non ille quidem plane abalienatus aut aperte inimicus, sed qui tamen eos non unos omnium maxime laude dignos censeat, et eam ob causam in illis libris aliorum quoque res multo diligentius enarrari et, quod inprimis sit memorabile, laudes etiam ceteris tribui, veluti aliquoties Atheniensibus. Ut viro docto, cujus magni facio judicium, concedam, ita recte statui de epilogo libelli de republica Lacedaemoniorum scripti, tamen non plane eadem sentio de historia graeca. Eandem fere atque Haasius amplexus est sententiam Spillerus (l. l. p. 33. sq.), qui ad eam confirmandam locos quosdam historiae graecae proposuit, quibus aut laudentur Athenienses aut reprehendantur Spartani. Ut ab illis, quibus laudari dicit Athenienses, incipiam, eos e mea opinione non magni esse momenti fateor; attulit Spillerus h. gr. 7, 5, 16. 4, 8, 25 sqq. 6, 2, 27 sq. Primo horum locorum laudibus cumulari dicit fortitu-

dinem atque officium equitum Atheniensium; quod sane negari nequit; sin vero consideramus, in illorum equitum numero filios quoque Xenophontis fuisse, quos pugnae Mantinensi, de qua illo loco loquitur Xenophon, interfuisse non ignoramus, cavendum esse opinor, ne illis Atheniensium laudibus nimium tribuamus. Altero et tertio loco Iphicrates et Thrasybulus ob artem imperatoriam praedicantur, sed et eundem Iphicratem postea a Xenophonte graviter vituperari legimus, et supra dictum est, artis imperatoriae ubique in historiae graecae quoque libris maximam rationem esse habitam a Xenophonte, neque quisquam contendit, tantum fuisse Xenophontis in Athenienses odium, ut ne unum et alterum eorum praeclari aliquid egisse fateretur, Illos vero locos, quibus Lacedaemonios a Xenophonte reprehendi demonstrare voluit Spillerus (h. gr. 5, 4, 1. 3, 5, 8 sqq. 4, 4, 17. 4, 5, 6. 6, 4, 2. 6, 5, 35) si respicimus, non percipio, quomodo locis talibus, quales sunt h. gr. 4, 4, 17. 4, 5, 6., ad id quod voluit demonstrandum uti potuerit Spillerus; ad reliquos quod attinet, non nego iis vituperari Spartanos, sed in illis quoque Xenophontem nostrum agnoscamus necesse est. Duobus enim locis (h. gr. 5, 4, 1. 6, 4, 2 sq.) eorum erga deos negligentiam accusat, quod crimen Xenophonti, qui tanta est reverentia erga deos, ut eum vel superstitiosum dicere liceat, inprimis grave non videri non potuit. Sed in universum horum et similium locorum rationem vix habendam esse opinor, contra vero esse respiciendos locos permultos, quibus prodatur egregium Xenophontis in Lacedaemonios studium, maxime illud in eo conspicuum, quod saepe res aut a Thebanis bene aut a Spartanis male gestas non commemorat, quod ubique diligenter adnotat, qui nuper edidit historiam graecam, Schneiderus (cf. h. gr. 6, 4, 8; 7, 5, 11. c. ann. Schneid. s. v *πλέον*; 7, 4, 1. c. ann. Schn. s. v. *Ὠρωπός*; 7, 4, 22—25; 7, 2, 1. c. ann. Schn. s. v. *ἀλλὰ γάρ*; 5, 4, 63. c. ann. Schn. s. v. *ἐλάμβανον*; 5, 2, 28. c. ann. Schn. s. v. *λογιστικός*; 7, 1, 15. c. ann. Schn. s. v. *ἐπιμαχώτατον*; 7, 1, 19. c. ann. Schn. s. v. *τρόπαιον*). Inprimis vero quantum sit in his enarrandis Xenophontis in Lacedaemonios studium, odium in Thebanos, cujus ei auctorem fuisse Agesilaum

suspicari licet (h. gr. 5, 1, 33), apparet eo, quod nomen Epaminondae ne in describenda quidem pugna Leuctrica posuit (cf. Schn. ad. h. gr. 6, 4, 5. s. v. κήδεται), sed Thebanorum tantum ducum fecit mentionem (h. gr. 6, 4, 6); quod idem Epaminondae nomen alio loco (h. gr. 7, 1, 16 c. ann. Schn. s. v. Θηβαῖοι) tacuit et postea demum Epaminondam nominavit (h. gr. 7, 1, 41); quod omnino praeclaras Epaminondae virtutes non satis illustravit, quamvis arte imperatoria quantopere ille excelluerit, quasi invitus et coactus dicat (h. gr. 7, 5, 8. 19); quod Pelopidam virum non minus insignem quam Epaminondam semel et obiter tantum commemoravit (h. gr. 7, 1, 33); quod Megalopolis conditionem, qua nullum majus detrimentum Lacedaemoniis Thebani intulerunt, ne verbo quidem attigit (cf. Schn. ad h. gr. 6, 5, 6. s. v. κατὰ χώραν).

Quae modo attuli sufficere oppinor ad firmandam sententiam, quam de Xenophontis in Lacedaemonios studio conspicuo in historiae graecae libris propono, quae est haec: quemadmodum in universum historiam illam scripsisse videtur nulla ratione habita ejus, quod ei summum et primarium in omnium rerum, quas memoriae mandaret, expositione spectandum erat (cf. Creuzer. l. l. p. 38), scilicet ut demonstraret, quaenam gravissimi illius de summo imperio certaminis primum Athenienses inter et Lacedaemonios, tunc inter Thebanos et Lacedaemonios commissi ad graecarum civitatum societatem et universae Graeciae conditionem vis fuerit et potestas; quemadmodum igitur hujus nullam habuit rationem, sed omnes res ad sui tantum animi indolem dijudicavit; quemadmodum propterea Socratis magistri de rebus divinis et aliis placita non bene in historiam induxisse et eandem ob causam praeceptis ad artem imperatoriam spectantibus nimis delectatus esse dicendus est; ita eum in rebus narrandis nimium prodidisse Lacedaemoniorum studium arbitror, ut affirmare liceat, eum historiam interdum corrupisse; qua de causa hoc ejus in Lacedaemonios studium valde esse reprehendendum censeo, etsi forte jure contendi potest, senis animum non adeo quam juvenis abalienatum fuisse a popularibus. —

Theses.

Ingenii facultates omnium hominum, cum nascuntur, pares esse nego.

Xenophontis simplicitas, quae ab omnibus fere Xenophontis librorum editoribus summis effertur laudibus, saepe mihi videtur reprehendenda.

Animo Sallustii scribentis cap. X. Jugurthae obversata est Cyri morientis oratio confecta a Xenophonte Cyrop. lib. VIII. cap. VII.

Locum, qui legitur apud Sallustium Jugurthae cap. CI. sect. 6: — „dein Numida cognito Bocchi adventu clam cum pau-„cis ad pedites convortit; ibi latine (nam apud Numantiam loqui „didicerat) exclamat, nostros frustra pugnare etc.“ — ita ut pedites illi sint Mauri, milites Bocchi, intelligendum esse contendo contra Kritzium, qui illo vocabulo aut Romanos aut Numidas significari affirmat.

Hom. Il. B. v. 250 sqq. duplicis recensionis exstare indicia statuo cum Naegelsbachio (cf. ej. libr. Anmerkungen z. Ilias. p. 121 fg.) et locum illum ita scribendum esse censeo:

οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον
ἔμμεναι, ὅσσοι ἅμ' Ἀτρείδῃς ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον.
τῷ οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις,
καί σφιν ὀνείδεά τε προφέροις, νόστον τε φυλάσσοις.
ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω — κτλ.

Vita.

Paulus Julius Ernestus Aemilius Werner, formulae evangelicae addictus, natus sum Lignitii die XV. mensis Julii anno hujus seculi XXVII. patre Julio, superiorum gymnasii Lignicensis ordinum magistro, matre Aemilia e gente Schilleriana. Primis literarum elementis imbutus decimum vitae annum agens inter gymnasii Lignicensis illo tempore cl. Koehler rectore florentis discipulos receptus sum, quod gymnasium per septem frequentavi annos; quatuor vero annis ante quam e gxmnasio decessi pater optimus morte mihi est ereptus. Anno hujus seculi XLV. tempore verno in almam academiam Viadrinam Lignitio migravi, ubi viro cl. Pohl tunc fasces academicos tenente inter cives academicos receptus et a cl. Schneider philosophorum ordini adjectus sum. Per novem semestria interfui scholis vv. cll. Schneider, Ambrosch, Haase, Braniss, Nees ab Esenbeck, Roepell, Cauer, Middeldorf, Schulz, Rhode, quibus praeceptoribus omnes eas quas par est gratias ago.

